THE LIBRARY OF CONGRESS

THE LIBRARY OF CONGRESS

DISPUTATIO

DE

MYSTICISMO,

AUCTORE

E. A. BORGER.

HAGAE COMITUM,

APUD

VIDUAM J. ALLART, ET SOC.

1820.

B828
.B7
1820

PRAEFATIO

AD

EDITIONEM ALTERAM.

Quamquam fortasse non omnino nulla fuerit hominum nostrorum de me studiisque meis opinio, ego tamen ineptus sim, si, quod hic noster libellus vix unius diei spatio in bibliopolæ officina moratus sit, ejus rei aliam quandam causam fuisse, quam exemplarium paucitatem, putem. Quam ego causam ut prudentissimis eruditissimisque viris relinquo, quorum et judicio comprobata et auctoritate edita est hæc commentatio, ita laudanda mihi est atque palam prædicanda eorumdem optimorum virorum humanitas, a quibus cum per literas petiissem, ut

opusculum, subita quasi morte oppressum, in vitam atque in hominum lucem reducere mihi liceret, benigne mihi atque perliberaliter gratificati sunt.

Ego autem tametsi non eram nescius, ex quo hanc primum Disputationem elucubratus essem, multos etiam fuisse viros doctos, qui in eodem argumento elaborassent, quorumque ex libris aliquis ad scriptionem nostram fructus redundare posset, tamen, quominus repetitam hanc editionem illarum copiarum accessione locupletaverim, duæ præsertim apud me causæ valuerunt, quarum alteram iis, qui judicare possint, facile me probaturum esse confido, de altera certe non plane despero. Nam quum, nondum hac scriptione confecta, de Theologiæ cathedra, quam adhuc obtinueram, ad Literarum Professionem essem traductus, quæ animum ab aliarum rerum studio cogitationeque ita avocaret, ut omne otium meum omnesque vires sibi vindicaret, coactus sum, nisi stationem deserere vellem, philosophiæ studia

intermittere. Quæ utinam instaurare aliquando liceat. Quid enim non solum literæ, sed quid ipsa vita sine philosophia est? Sed tempori parendum est, neque ulla justior excusatio reperiri potest, quam quæ a necessitate arcessatur. Et hæc illa causa est, qua maxime confidere me dixi. Altera causa, non tam in necessitate, quam in voluntate posita, infirmior fortasse videbitur, iis præsertim, qui, quemadmodum Crassus neminem divitem judicabat, nisi qui exercitum alere suis fructibus posset, sic neminem satis doctum esse putant, nisi qui, quicquid scriptum sit, id etiam legerit, quicquid legerit, id excerpserit, quicquid denique excerpserit, id aliquando in suis ipse scriptis expromserit. Non aspernor diligentiam; laudo etiam; siquidem is, qui omnium regum sapientissimus habitus est, in formicis etiam diligentiam laudavit, atque huc ignavos delegavit. Sed tamen alia hominum est, alia formicarum diligentia, neque male nobis eventurum esse arbitror, si ii, qui nihil tam metuere

videntur, quam ne aliqua in parte istarum bestiolarum dissimiles sint, eam quoque similitudinem consectentur, ut abdant se, suosque acervos consumant, nec aliis impertiantur. Ego in hac Commentatione, priusquam aggrederer, eam præparationem adhibueram, ut diligenter circumspicerem, si quid ad rem præsentem pertinere videretur. Itaque multa legi, collegi, effudi. Vellem parcior fuissem. Nunc autem etiamsi otio affluerem, nec tantis, quantæ sunt, occupationibus distinerer, quidvis tamen potius mihi persuaderi paterer, quam ut denuo in legendis libris, qui hoc proximo biennio, sive ad commendationem Mysticismi sive ad vituperationem, editi sint, tempus consumerem. Primum, cui bono? Neque enim, si philosophiæ studiis me delectari dico, istis etiam recentioribus philosophis delector: neque si Kantium, si Fichtium, si Schellingium, si paucos eorum studiosos, viros acutissimos fuisse fateor, summisque ingeniis præditos, idcirco ei, qui illorum libros lectitaverit, hoc etiam onus

imponendum existimo, ut omnes Kantianos, Fichtianos, Schellingianos psittacos: philosophos *volebam dicere: accurate cognoscat. Deinde quid recentis adhuc laboris tædium satietatemque commemorem? Nam quemadmodum qui mane somno soluti, cum adhuc gravedine et cruditate, ex pridiano contracta convivio, laborant, non continuo solent, nisi admodum edaces et ebriosi sunt, ad hesternæ coenæ reliquias redire, sic mihi, qui mysticis epulis adhuc saturatus sum et vertiginem sentio, illud dari, ut opinor, atque concedi oportet, ut in novam crapulam ne me ingurgitem, pruisquam veterem exhalavero.*

Neque tamen si mihi in repetenda hujus libri editione et otium ad legendum et studium defuisse dico, istuc ita interpretandum est, quasi non vehementer doleam, tempus defuisse, quod in hujus scriptionis emendatione utilissime collocarem. Quod enim plerique omnes cum aliquo dolore suo prædicant, se, si repuerascerent et quasi ad carceres a calce revocarentur, vitæ spatium

prudentius, quam fecerint, decursuros esse; idem scriptoribus usu venire solet: quorum quis tam stolidus, tamque sibi placens, qui, si opus suum respexerit, non multis partibus retractatum correctumque cupiat? Quamquam quid ego de otio? Quasi vero non is rerum mearum status sit, ut, etiamsi omnibus negotiis vacem, tamen quicquid in me virium est atque nervorum, id omne eo nunc mihi conferendum sit, ut gravissimo dolori, quantum eniti possim, resistam. Nondum eluxeram optimam atque carissimam uxorem, ante hos quinque annos acerbissima morte exstinctam, quum tandem dolorem, nulla temporis diuturnitate levatum, ratio vicit auctoritasque amicorum. Nam et filiolus, cujus in vitam introitus matri interitum attulerat, maternam curam atque diligentiam desiderabat, et ego, qui cum fidelissima conjuge ne unius quidem anni spatium in matrimonio compleveram, quasi pristina calamitate fretus, jure quodam meo satis me tectum adversus fortunæ tela rebar. ô Fallacem

hominum spem, nostrasque inanes cogitationes! Quod enim, quæ mea stultitia erat et rerum humanarum ignoratio, sine magna dementia vix somniari posse existimaveram, id res ipsa docuit vigilanti fuisse extimescendum. Pari amoris magnitudine, pari temporis brevitate, par fati acerbitas, pari virtute exstincta, parem luctum attulit. Quod cum scribo, aliquis fortasse mihi Terentianus Davus,

Id populus curat scilicet!

Non opinor: nec ego populum. Neque ut populus curaret, hæc scripsi, sed quod, cum in nova hujus libri editione non omnium fortasse exspectationi satisfacturus sim, ipse mihi defuturum me esse judicabam, si tam gravem tamque justam excusationem prætermitterem. Quamquam quid negem, ac non potius palam profitear, aliam quoque causam esse, eamque cum re præsente maxime conjunctam, cur hoc loco horribilem illum meum ac luctuosissimum casum commemorem? Ego enim, quoties in illius noctis memo-

riam revertor, qua nocte, gravissimo hoc vulnere accepto, illud etiam vetus, quod jam aliquantum consanuisse videbatur, recruduit, ut, quod simplex luctûs onus singuli vix ferant, id mihi nunc duplex sustinendum sit; toties mirari satis non possum, recentiores isti, qui omne cœlum omnemque terram sapientiâ suâ complexos se esse putant, in gravissimo illo et excellentissimo philosophiæ munere, quod malorum consolatione cernitur, quam debiles, quam nudi, quam inermes sint. Quid ea nocte mihi opitulati estis, philosophi? quibus armis me defendistis? quam doloris partem a pectore meo depulistis? Quid nunc etiam affertis, quo erigam me atque ex hac animi perturbatione ad vitæ studiorumque tranquillitatem aliquando emergam? Nolite me irridere: edocete potius: numquam ad humanitatem vestram quis confugit, qui magis consolatione indigeret. Vestræ vobis disciplinæ nomen defero. Levitatis, perfidiæ, proditionis eam accuso. Ego illam in secundis rebus tuleram ac

mecum esse siveram, illa me in adversis deseruit, nec adjuvit. Quid? hæc vestra immortalitas est? Ita orbitatem nostram sublevatis, ut animos eorum, qui nobis carissimi fuerint, quos in oculis tulerimus, quorum extremum spiritum labris nostris exceperimus, in Absolutum evolasse dicatis, in quo, ut nix in aquâ, liquescerent? Excordes simus oportet, nisi id intelligamus, spem immortalitatis verbo relinqui a vobis, re tolli, et quemadmodum a vespillonibus corpora, sic a vobis animos humari. Quid enim aliud istud vestrum Absolutum est, nisi bustum animorum, quorum turbam ita coire atque coalescere putatis, ut qui placida tranquillaque morte ex Aristidis, ex Lælii, ex Boerhavii, ex Fenelonis, ex optimi cujusque, corpore excesserint, secerni ab iis atque internosci nequeant, quos justissimo supplicio ex improbissimorum gulis carnifex extorserit. Quid est animos interimere, si hoc non est? quos cum vivere, et æternos esse, et in Absoluto degere dicitis, quid tandem, per ipsum illud Absolutum,

quì vester Deus est, aliud facitis, quam si quis, effuso in fretum Herculeum myrothecio, ita jacturam consoletur, ut diffluxisse unguentum, non periisse, dicat? Sed quoniam neque quid sit istud Absolutum, docere potestis, neque quemadmodum a nihilo differat, quid est, quod adeo vos nomen inane delectet, ut ad interitûs denunciationem tralato potius et obscuro, quam proprio ac perspicuo verbo utamini? ô Timidam philosophiam atque ignavam, quæ, cum palam ridere immortalitatem non audeat, gurgitem aliquem fingat atque voraginem animorum. Vivere eos dicitis? Tum credam, cum inter istam vitam et mortem, inter eum, qui in Absoluto sit, et eum, qui ne natus quidem sit, aliquid interesse docueritis. Quasi vero, inquit, non omnia Eadem *sint. Non invidemus istam vobis* Identitatem, *neque vocabulum, neque rem ipsam; modo nobis ne nimis irascamini, qui rerum aliquam diversitatem esse putemus, quibusque alius esse gallus gallinaceus videatur, alius, Ajax Telamonius.*

Non succurrunt laborantibus isti recentiores. Sed fortasse ne polliciti quidem sint. Non quæro quid illi verbo promiserint, sed nos quid jure exspectemus. Tu medicum repudiabis, qui tibi, stranguriâ si torqueare, quoniam ejus morbi nomen in januæ poste non inscripserit, mederi recuset; philosophum non repudiabis, qui, cum eam artem profiteatur, quam veteres medicinam animi dixerunt, tum deserat te, cum ægritudine elidaris? Sed incredibile est, quam isti sibi confidant: qui de causa sua ne tum quidem desperandum putent, cum ab ipsa virtute desertam eam ac derelictam videant. Quamquam quæ potest desperatior causa esse, quam quæ virtutis præsidio careat? Aut quæ umquam ex philosophi ore indignior vox est emissa, quam in quærendo vero id, quod inventum sit, amplectendum esse, etiamsi studio virtutis perniciosissimum fore videatur? Et tamen sunt philosophi, qui ita dicere non erubescant. Qui si virtutem a philosophia segregarent, nec eâdem

utramque scholâ ac disciplinâ contineri existimarent, ver illi quidem tollerent ex anno, maximoque ornamento suo ac præcipua laude nudarent philosophiam: sed tamen, modo virtuti, utut vetere ac justa possessione depulsæ, atque in propriam quandam ac peculiarem scholam traductæ, suus constaret honos, istos, qui hæc distraherent, quodammodo ferri posse judicarem. Nunc autem cum eo loco habeant virtutem, ut, dummodo ex philosophiæ fluctibus Absolutum suum emergat, illam facile interire patiantur, ecquid aliud faciunt, quam ut urbem prodant, dum castella defendunt? Quis enim tam stultus, qui non omnibus Absolutis omnibusque Identitatibus virtutem anteponat? Quamquam autem non magnopere vereor, ne philosophia, quæ virtutem contemnere audeat, stabilitatem consequatur: est enim in virtute tuenda permagna vis naturæ: pestilentissima tamen opinio est, vi et legibus vindicanda. Nullum imperium, nulla respublica, nulla hominum societas, nulla denique domus stare

poterit, in quam ista labes invaserit. Quid? tam facilis erit, tamque indulgens philosophia, ut non solum, si quos male moratos nacta fuerit, iis non medeatur, verum etiam, qui bonis incorruptisque moribus ad ipsius auctoritatem se contulerint, eos, si disciplina postulaverit, ita communi vitæ hominumque societati reddat, ut ex meretricis lustro, non ex sapientiæ schola, prodiisse videantur? Quod ego contra recentiorum philosophorum sententiam, non contra ipsos philosophos, dictum esse volo. Neque enim illi quid faciant, quæro, aut quemadmodum, in erudienda juventute, humili ista et abjecta de virtute opinione abutantur, sed quid, si constare sibi velint, fateri cogantur nec possint defugere. Quamquam ego numquam adduci me patiar, ut veram esse philosophiam posse credam, quæ virtutem occidat. Utinam vero recentiores isti modestius aliquando de se, atque honorificentius de virtute loqui discerent. Extremæ enim superbiæ esse videtur, ne tum qui-

dem de sententia velle desistere, cum ob ipsa virtute urgeare. Quam illi si in consilium adhibendam esse non putant, tantum certe ei tribuant, quantum tribunis plebis veteres Romani, ut intercedendo vetandoque, si quid a petulanti philosophia improbe scitum fuerit, ejus acta rescindere possit. Valde enim indociles sint oportet, atque naturæ humanæ ignari, nisi ex superiorum ruinis philosophorum id didicerint, se posse errare. Confidant tamen sibi, quantum libeat. Si autem homines se esse, nec erroris periculo vacare fatentur, illud ipsa modestia atque prudentia ab iis postulat, ut, etiamsi virtutis repugnantiâ sententiam suam redargui non posse putent, tamen, ubi illa obnitatur, aliquam suspicionem suscipiant, et potius reprimant se, quam id verum esse judicent, quo virtus interimatur.

Scripsi Lugduni Batavorum, ipsis Kalend. Mart.

DISPUTATIO

DE

MYSTICISMO.

PROLEGOMENA.

Quod *Heraclitus* physicus dixisse fertur, ὅτι πάντα ῥεῖ, καὶ οὐδὲν μένει, ut in idem flumen bis non descendamus, illud ab eo in una rerum natura positum, transferri in omnem philosophiam potest. Quoad enim per omnium sæculorum memoriam philosophiæ conditionem recordari possumus, tanta fuit semper philosophorum inter se dissensio, tantaque concertatio, ut magno argumento esse debeat, causam, id est, principium esse inscientiam. Quamquam quis non ægre ferat, ea nos conditione satos atque in lucem editos esse, ut cum ceterarum rerum plerarumque firma quædam sit ac stabilis cognitio, præclaram illam, atque unam omnium excellentissimam disciplinam, quæ est de Dei immortalis natura atque de omni vitæ moderatione, ab ignorantia, tamquam a fonte,

ducere ac repetere debeamus. Quid enim? in ceterarum rerum disciplinis; quinetiam in rebus vitæ communis, aut plerumque turpem, aut numquam laudabilem ducemus inscientiam; in philosophia, quæ occultarum gravissimarumque rerum patefactionem pollicetur, is demum plurimum profecisse existimabitur, qui se nihil scire et intelligat et profiteatur? Et tamen si eorum, qui inde a *Thalete Milesio* philosophati sunt, pugnas inter se atque conflictiones consideramus, hæc ab ipsa philosophia scripta philosophis lex videtur, ut cohibeatur assensio. Fugere veritas amatores suos videtur, ut insequentem Apollinem Laura. Quinque et viginti sæculorum bellum est; nulla adhuc pacis spes, nulla litigantium compositio, nullæ induciæ. Neque aut præteriti temporis recordatio, aut præsentis cogitatio, aut futuri providentia ullum augurium affert, quo freti sperare possimus, fore aliquando, ut arma ponantur.

Similis est illius disciplinæ inconstantia, quam qui profitentur, Theologi dicuntur. Cum enim theologiæ ac philosophiæ partim commune sit principium, ratio humana, iisdem fluctibus utramque disciplinam necesse est jactari. Sed theologiæ deterior etiam est, quam philosophiæ, conditio, quod, cum altera ejus causa ac principium sit Sacra Scriptura, de hac ipsa tantæ sunt ac tam acres eruditorum hominum rixæ, ut eas dinumerare infinitum sit.

Quamquam autem nullum umquam tempus fuit, quo non de illis, quas memoravimus, disciplinis aut universis, aut de nonnullis earum partibus aliqua esset philosophorum theologorumque contentio, nulla tamen ætas tantam earum conversionem ac fere eversionem vidit, quantam proxime superius sæculum. Cum enim antea de earum disciplinarum tamquam exstructione fere unice esset disputatum, nostra ætate ipsa earum fundamenta attentata et conquassata sunt, ut ruina parari videretur. Sed quamquam hujus rei expositio cum scriptionis nostræ argumento arcte conjuncta est, ab hoc tamen loco aliena videtur. Quamobrem cum postea de hac rerum conversione uberius dicturi simus, nunc quidem, ne idem bis dicatur, totam hanc causam ad opportuniorem locum reservemus.

Hoc autem loco posuisse sufficiat, id quod notissimum est, iis, de quibus diximus, turbis illud adhuc esse effectum, sive potius, eam esse præsentem philosophiæ ac theologiæ conditionem, ut multi in obscuro quodam ac mystico animi sensu acquiescant, eoque omnem religionis ac philosophiæ vim et naturam contineri arbitrentur. Quod omnino mirum possit videri. Quamquam enim minime nobis probari solet oratio eorum, qui, simul atque in philosophia aut in theologia aliquid novi tentari vident, continuo religioni virtutique interitum afferri existimant, tamen, cum nostrorum hominum studiis, tamquam armis, utriusque discipli-

næ arx et præsidium oppugnaretur, quidvis potius exspectandum videbatur, quam fore, ut motus illi vehementissimi tandem parerent mysticam illam rationem, in qua inest, ut ita dicam, quædam religiosi sensûs luxuries et abundantia. Et tamen ita se res habet, ut hoc tempore multorum mentes ea ratio occupet, atque in dies latius serpat. Quæ res cum sæpenumeró nos advertit, tum Vestra, Eruditissimi Viri, fecit auctoritas, ut nostram, de hoc argumento sententiam scriptione explicare constituerimus. Quidni enim plurimum tribuamus auctoritati talium virorum, quales Vos estis, qui doctis hominibus ea ad commentandum argumenta ponere soletis, ut ipse quæstionum Vestrarum delectus perspicue ostendat, melius ad eas responderi non posse, quam a Vobis ipsis, qui quæritis? Quanquam autem nulla umquam quæstio a Vobis ad disceptandum est proposita, quæ non Vestro ingenio Vestrâque doctrinâ esset dignissima, haud tamen scio, an nullam proposueritis majoris ponderis, quam illam, in qua versabitur nostra scriptio. Nos autem, quamquam in prædicando hoc quæstionis momento diserti esse poteramus, ex ipsa tamen argumenti tractatione illud intelligi malumus, quam in scriptionis exordio explicari.

Quæsitum a Vobis est, Viri Eruditissimi, » quibus causis factum sit, ut multis Theologis ac Philosophis, ab aliquo inde tempore, obscurus qui-

» dam sensus, qui etiam *mysticismus* appelletur,
» inprimis placere videatur? Utrum illa ratio re-
» ligioni ac virtuti perniciosa sit, nec ne? Si per-
» niciosa sit, quæritis, quo pacto huic malo me-
» dicina afferri queat, ne latius grassetur? Deni-
» que, quatenus sensus in judicatione et usu reli-
» gionis, cum naturalis, tum divinitus patefactæ, suc-
» currere rationi, ejusque locum tenere, et possit et
» debeat?" Quæ quæstio ita a Vobis posita est, ut ipsa afferat scriptionis nostræ partitionem. Tenebimus igitur eum disserendi cursum, quem ipsi monstravistis, eritque commentatio nostra in quatuor Capita distributa, quatuor illis partibus designata, quibus universa quæstio continetur. Quo autem via ac ratione procedat disputatio, quoque intelligatur, de quo disserendum sit, primum declarandum est quid sit Mysticismus, de quo est omnis hæc suscepta scriptio.

Quamquam simplex est et concretionis expers mens humana, ita tamen varie et intrinsecus movetur, et foras, quid agat ac moliatur, aperit, ut eam ipsam ob causam qualitates varias et quasi multiformes ei tribuere philosophi soleant. Cum enim mens nostra jam in *cogitando*, jam in *sentiendo*, jam in *cupiendo* versari soleat, triplex illud negotium triplicem peperit facultatum animi partitionem, ut sint *ratio*, *sensus*, *voluntas*: quamquam alii aliter; sed nos nunc potissimum cum alios,

tum *Reinhardum* sequimur, magnum in paucis virum (*a*).

Rationem cum dicimus, notissima vis vocis est, nec opus est definitione. Occupata est, ut diximus, in *cogitatione*, hoc est, res inter se conjungit, argumenta concludit, notiones universales efficit, qua facultate brutis animantibus præstamus (*b*): unde intelligitur, nos loqui de ratione theoreticâ, non de practicâ, quæ a *Kantio* præsertim explicita et celebrata est.

Sensus dicitur *animadversio statûs*, *sive conditionis*, *in qua nunc ipsum mens nostra versetur:* qui autem hunc statum sive conditionem animadvertere potest, is præditus est *facultate sentiendi.* Varia sunt sensuum genera. Alii ad corpus pertinent, alii ad animum. Grati sunt alii, alii ingrati. Alius sensus ad pulcrum venustumque refertur, unde nascitur *æsthetica;* alius spectat id, quod bonum rectumque est, atque eam ob causam *sensus moralis* dicitur: alius id, quod infinitum ac divinum est, complectitur, atque *sensus religiosus* appellari solet. Sed nos hæc pingui tantum Minervâ (*c*). Est autem magni in hac causa momenti,

---

(*a*) *System der Christl. Moral*, *Tom.* I. § 25.

(*b*) Vid. *J. G. Sulzer*, *Zerglied. des Begriffs der Vernunft.* In *Verm. phil. Schr. p.* 244 sqq. et *Reinhold*, *Vers. einer neuen Theorie des menschl. Vorstellungsvermogens.*

(*c*) Plura aut de singulis his sensibus, aut de universis, vi-

duplicem cujusque sensûs rationem animadvertisse. Mens enim, quæ aliquid sentit, *aut* præcipue in observatione sui suæque conditionis versatur, *aut* huic observationi adjuncta est cogitatio illius rei, quæ est illius conditionis causa. Sonitum audio; quem unum si considerem, grato ingratove sensu afficiar. Sed idem ille sensus me docet, tubæ esse sonitum, quem audiam. Accedit igitur ad illum sensum tubæ cogitatio. Illa autem cogitatio non nititur aliqua serie et conjunctione argumentorum, sed ipse sensus eam parit: i. e. illa cogitatio tubæ est *immediata* (*d*), nullo interposito ratiocinio. Itaque si mens unice occupata est in consideranda sua conditione præsente, sensus est prorsus *subjectivus*: sin assumit ideam illius rei, quæ ipsam sive suaviter, sive moleste, afficiat, animus quodammodo dividitur, atque partim ad contemplationem sui, partim ad cogitationem rei, quæ gratum ingratumve sensum excitet, convertitur (*e*).

Facultatum *cogitandi* ac *sentiendi*, sive potius

---

deri possunt apud *Sulzerum lib. cit. p.* 1. sqq. *Reinhard* l. c. § 38 sqq. *F. Bouterwek*, *Aesthet.* 2 ed. Gott. 1815. *Tom.* I. *p.* 27 sqq.

(*d*) His aliisque verbis barbaris in hac Disput. uti liceat: putidum esset, ea evitare velle.

(*e*) *J. G. C. Kiesewetter*, *Darstell. der wicht. Wahrh. der krit. Philos. Tom.* II. *p.* 21.

rationis ac *sensûs* ea est necessitudo, ut se invicem opprimant, utque alterius vis ac robur eo magis imminuatur ac debilitetur, quo magis alterius augeatur ac confirmetur. Hoc in præsentia sumere liceat; causam mox explicabimus (*f*).

Quemadmodum in corpore justâ et æquabili humoris temperatione magna sanitatis pars continetur, ita illa mens sana dici potest, in qua inest omnium facultatum quædam, ut ita dicam, æquilibritas. Quod non ita interpretandum est, quasi nullum in animo inesse debeat ἡγεμονικὸν, nulla facultas, quæ ceterarum dux et moderatrix sit; sed nolumus eam esse tam impotenti dominatione, ut reliquas servitute opprimat ac penitus frangat. Quod tamen sæpe fieri constat. Nobis quidem nunc unice de *cogitandi sentiendique* facultatibus sermo est, quarum cum altera ita supra alteram se effert, ut sola principatum teneat, tum est turbata mentis sanitas. *Cogitandi* facultas si ita dominatur, ut in una rerum contemplatione animum versari cogat, nec ullum sensui locum relinquat, nascitur illa philosophandi jejunitas Scholasticorum, quorum ingenia erant oppleta dialecticis aculeis, quibus se invicem compungebant. Si *sensus* prævalet, eique ratio tamquam serva ac pedissequa parere cogitur, tum oritur *Mysticismus*, de quo est omnis hæc

(*f*) *Reinhard* l. c. § 48.

suscepta disputatio. *Mysticum* igitur appellamus eum, qui sensu potius, quam ratione se duci patiatur (*g*).

Sed hoc ipsum: *sensu duci:* quid sit, breviter declarandum est. Diximus paulo ante, qui aliquo modo affectum se sentiat, eum posse mentem ac cogitationem convertere *aut* in se ipsum, qui affectus sit, *aut* etiam in affectionis causam, extra se positam. Quarum cogitationum, quamquam altera potest alterâ vehementior ac veluti vividior esse, solet tamen utraque fere semper esse conjuncta. Si in tenebris me vulnerari sentiam, fieri aliter non potest, quin eodem temporis momento et dolorem sentiam et de doloris causâ, i. e. de vulnerante, cogitem. Ut vero aut levius fuerit aut gravius vulnus, ita aut in hanc, aut in illam partem se convertet cogitatio. Cum igitur ex sensu affectionis oriatur cogitatio causæ afficientis, atque hæc cogitatio rursus alias notiones pariat; qui has notiones sequitur, easque pro veris ac certis habeat, eum dicimus *sensu duci.* Sed sunt illæ notiones duplicis generis. Ut enim paulo post explicabimus, omnes notiones, quæ non ratione sed sensu nituntur, *per se obscuræ* sunt. Has plerumqne Mystici sequuntur. Sed apud alios Mysticos accedit major

---

(*g*) Vid. *E. G. Bengel*, *Archiv. für die Theol. und. ihre neueste Literat. Tom.* I. *P.* I. *p.* 68.

quædam *phantasiæ* vis, quæ illam notionum obscuritatem ita declarat et illustrat, ut, quæ ratione nemo mortalium assequi possit (Mysteria), ea ipsi sine ratione, quasi mentis oculis, i. e. phantasiâ, perspicere ac penitus cognoscere sibi videantur. Hinc intelligitur, Mysticum etiam sic definiri posse, ut sit, *qui sine rationis ope* (immediate) *religionis Mysteria se perspicere arbitretur* (*h*). Quod enim dicimus: *sine rationis ope:* facile intelligitur, quam vim habeat. Incidimus aliquando in homunculum, qui Trinitatis Mysterium se perspectum habere, gloriaretur, atque abstrusam illam rem cum re, ex vita communi sumtâ, compararet. Is cum tantæ rei intelligentiam jactaret, tamen, quoniam *rationem* adhibebat, non erat Mysticus. Ita enim appellamus eum, qui, quod perspici a se atque cognosci dicit, id fateatur *Mysterium* esse, i. e. ejusmodi, ut ratione cognosci ac perspici nequeat.

Ex his apparet, variam esse Mysticismi formam ac speciem, prout aut *sensus* aut *phantasia* prævaleat. Quid? quod hoc discrimen cuipiam tantum videri possit, ut duo diversissima Mysticismi genera esse putet, cum sensus in *obscuris*, phantasia vero, in *claris* et *evidentibus* notionibus sedem habeat.

(*h*) Vid. *Boehme* in *Schuderoffs Journ.* viert Jahrg. I. B. I. *St. p.* 12.

Nec tamen ita se res habet. Mysticismi natura non censenda est obscuritate aut evidentiâ notionum, sed *contemtu rationis*. Qui maxime sensum sequuntur, *immediate* se affici jactant, qui phantasiam, *immediate* se perspicere religionis mysteria gloriantur. Hoc autem quod dicimus *immediate*, est Mysticismi nota et χαρακτηρισμός: hoc utriusque, quam memoravimus, speciei vinculum. Differunt tantummodo organa. Alii *sentiunt*, alii *cernunt*, sed utrique *immediate* (*i*). Nos autem ad Mysticismi cognitionem satis esse putamus, si hoc loco de prioribus illis præcipue tautum loquamur.

Cogitandi sentiendique facultates commode conferri cum *visu* possunt. Ea est oculorum nostrorum fabrica, ut uno eodemque temporis puncto non nisi unam ac singularem rem, quæ iis objiciatur, clare et accurate cernere queant: plures res, si simul objiciantur, visûs confusio sequitur atque conturbatio. Hoc transferri in eas, de quibus loquimur, facultates potest. Ante hos aliquot annos si fuisses in Museo Parisiensi, omnium nationum spoliis atque rapinis referto, ubi catervatim, atque uno obtutu, tibi objicerentur Apollo Belvederensis, Medicea Venus, Laocoön, Torso, Gladiator, innumerabilia humanæ miracula artis, stetisses tantarum rerum tamque multiplicium adspectu tamquam de coelo tactus. Si quis autem propius ac-

(*i*) Vid. *Hall. Literat. Zeit.* 1818 *Maji*, *p.* 26.

cederet, ita illa confusio imminuebatur, ut accuratius singula tractabat atque intuebatur. Quemadmodum vero in hac causa tranquillitas sequebatur commotionem mentis, ita fieri potest, ut hæc sequatur illam. Montem aliquem placidus contemplor, ejusque altitudinem oculis metior. Sed ecce! dum acrius intueor, cacumen moveri video atque nutare. Jam miseret gregis in montis radice, magis etiam miseret pastorum, miseret meorum familiarium, quorum ibi sunt villæ, mei ipsius me miseret, in vitæ periculo versantis. Sequitur igitur mentis conturbatio tranquillam montis contemplationem. Cujus rei aperta causa est. Animus enim nunc non amplius in *una* montis ejusque altitudinis cogitatione versatur, sed comitatur ei multiplex malorum metus, quæ cum cacuminis sunt casu conjuncta. Plurium rerum cogitationes urgent se invicem atque propellunt, dumque earum volo aliquam arripere atque tenere, elabitur tamquam umbra, aliâ rursus sequente (*k*).

E quibus vide quid consequatur. Cum affici soleamus rebus externis, ejus affectionis ea vis est, ut mens *aut* exeat quasi ex sese, et ad cogitandas et cognoscendas res, quibus afficitur, veluti eliciatur, *aut* omnem cogitationem in se ipsa convertat, atque consideret, *quomodo* affecta sit. Hæc animadversio sui tum locum habere solet, cum

(*k*) *Salzer* l. c. *p.* 231 sqq.

rerum multitudo nos obruit, cumque earum perplexa indoles et conditio caliginem menti offundit, quo fit, ut cogitandi facultas, quasi de dissipatione istarum tenebrarum desperans, opprimatur et impediatur, et tota affectionis moles in sentiendi facultatem ruat. Hæc igitur facultas potissimum *obscuris*, cogitandi vero, *claris* ideis afficitur, quæ est in Logica disciplina vulgaris atque notissima idearum partitio. Hinc porro intelligimus, quî fiat, quod paulo ante diximus, ut, quo magis altera facultas afficiatur, ac veluti munere fungatur, eo magis altera iners fiat et quasi interimatur. Simulatque enim cogitandi facultate dispellitur caligo, atque res, quæ eâ circumfusa fuerat, in lucem producitur, tollitur aliquid de materia, in qua facultas sentiendi habitat, quæ, ut diximus, idearum obscuritate movetur. Contra, si cogitandi facultas a labore abstinet, nec accuratam rerum intelligentiam curat, tum omnes ideæ, quippe obscuræ, nec elaboratæ, ad *sensus* ditionem pertinent. Denique illud etiam animadverti velim, obscuris ideis animum vehementius, quam claris, moveri. Tum enim nasci solet clara rei idea, cum eam rem ita a quavis alia re distinguimus, ut solitaria ac separatim menti nostræ obversetur. Sed eam ipsam ob causam fit, ut una ac singularis res unam tantum excitet et singularem ideam. Obscura autem idea est illius rei, quam non ita ab omni alia re sejungere possumus,

quin plurium rerum ideis stipetur, quarum conjunctarum impetu animum vehementius affici necesse est, quam si in una tantum, eâque clarâ, ideâ versetur. In quo rursus cernitur magna animi cum corpore convenientia. Constat enim, quæ hebetioribus corporis sensibus objiciantur, ea nos magis movere, quam quæ acutioribus, quoniam hi clariores, quam illi, animo ideas ingerunt. E longinquo si pulveris pyrii inflammationem videam, minus movear, quam si audiam. Visus enim unam tantum unius rei ideam affert, auditû vero, qui est obtusior sensus, tot excitantur ideæ, quot excogitari possunt probabiles hujus fragoris causæ (*l*).

Quæ cum ita sint, tria hoc loco animadvertere liceat. Primum intelligitur, quare in sermonibus scriptisque Mysticorum et rerum conjunctio confusa ac fere nulla, et dicendi ratio insolens atque obscura esse soleat. Est enim bene scribendi dicendique fons atque principium accurata intelligentia ejus rei, de qua scribendum dicendumve sit. Mystici autem cum omnia referant ad sensum, quæ est idearum obscurarum sedes, fieri non potest, ut quæ obscure sentiant, ea perspicue exponant (*m*). Deinde illud quoque perspicuum est

---

(*l*) *Sulzer* l. c. *p.* 230.

(*m*) Exemplo esse possunt, ne alios nominemus, scripta *Jac. Boehmii*, de quibus praeter alios, laudatos a *Bruckero*, *Hist*

quæ sit Mysticismi atque Fanatismi conjunctio. Uterque sensu nititur, eadem igitur utriusque est indoles, differunt effectu. Causa posita est in eo, quod supra tubæ exemplo docuimus. Animus enim, qui aliquo modo afficitur, *aut* unice in se ipse convertitur, nec præter se ipsum quicquam præcipue cogitat, *aut* convertit se ad cogitationem illius rei, qua se affici sentit. Utro se converterit, ita aut Mysticismus aut Fanatismus existet (*n*). Divinitus se affici Mystici arbitrantur. Possunt igitur cogitare aut rem affectam, i. e. animum, aut Deum, qui afficiat. Prius illud si faciunt, mentem ab externarum rerum cogitatione avocant, animus in se ipse, tanquam in araneum, se convolvit, otium sequitur, itur in sylvas, conduntur casæ atque monasteria. Quod si prævalet cogitatio Dei, a quo se affectos putant, cum sensu conjungitur aliqua *disciplina*. De Deo rebusque divinis habent aliquam *sententiam*, quam sequantur, quamque alios sequi velint. Quæ sententia cum animi *sensu* nitatur, at-

---

Phil. Tom. IV. *p.* 695 videri possunt *I. M. Schröckh Kirch. Gesch. seit der Reform. Tom.* IV. *p.* 679 sqq. *Zimmermann*, *over de Eenzaamh. Tom.* II. *p.* 113 sqq. *Bachmann*, *Ueber Jak. Böhme*, *in Studien*, *herausgeg. von C. Daub und F. Creuzer*, Heidelb. 1809. N. I. *p.* 225 sqq. et *W. G. Tennemann*, *Gesch. der Philos. Tom.* X: *p.* 18 sqq.

(*n*) Conf. *Eberhard*, *Geist des Urchristenth. Tom.* III. *p.* 286 sqq.

que eam ob causam tam vera ac certa iis videatur, quam quæ corporis sensibus percipiuntur, fieri aliter non potest, quin contemnant omnia, quæ ipsorum sententiæ, vel potius, firmæ veri conscientiæ obesse videantur. Atque eam ob causam Sacras etiam Literas a Mysticis aut contemni, aut interpretatione torqueri, posthac docebimus. Hinc quoque Fanatismi furores. Incidi nuper in duos pueros, verberibus se invicem vehementer cædentes. Sciscitor contentionis causam. Narrat is qui impetum fecerat, se hesterno die aliquem communem ipsorum sodalem *vidisse*, atque cum eo *collocutum esse*: alterum hoc nolle credere, illum enim sodalem jam dudum atque longe ab urbe abesse: itaque se indignatum esse, quod alter præfracte negaret, *quæ ipse oculis auribusque percepisset*. Ecce pueri indignabundi atque fanatici furibundi similitudo. Quam enim testimonii auctoritatem coporis sensibus tribuebat puer, eandem animi sensui tribuit fanaticus. De rei veritate est ipsi persuasissimum, et tamen, quoniam omnis causa in *animi sensu* versatur, nullum ad aliis persuadendum afferre argumentum potest. Hinc fit, ut primum secum ipse quodammodo stomachetur, quod cum res ipsa nihil dubitationis habeat, tamen argumentis nequeat demonstrari. Simulac vero aut negaverit quis aut dubitaverit, tum animus, jam ad excandescentiam inclinans, exasperatur; quo certius est animi testimonium, eo magis acui-

tur ira; flammâ ferroque quæritur, quod rationibus effici nequit: hinc illæ lacrymæ (*o*)! Quem animi impetum minus etiam mirabimur, si *denique* recordamur, quod supra a nobis positum est, sentiendi facultatem obscuris potissimum ideis affici, eamque affectionem vehementiorem esse solere, quam quæ ab ideis proficiscatur. Neque enim, quod Mysticus de illa divini numinis efficacitate *certus est*, *nec dubitat*, idcirco habet ejus rei intelligentiam, i. e. *claram ideam* (*p*). In rerum publica-

---

(*o*) Non opus est haec ulterius persequi. Unus idemque *sensus* est, qui Quietismi inertiam cum extrema Fanatismi insania copulat; et quicquid interjectum est, id omne ad illum sensum referri debet. Magis etiam illa conjunctio apparebit, si recordamur, eorum etiam Mysticorum, qui otium sequuntur, multos semper fuisse qui in subtili rerum *contemplatione* multum operae ponerent, nec in uno sensu acquiescerent. Isti igitur aeque ac Fanatici, Deum atque vim divinam, qua se affectos sentiunt, habent tamquam materiam meditandi. Apud utrosque sensus est principium ac veluti fundamentum, cui ipsorum contemplatio innititur. Illorum Mysticismum *passivum*, sive *otiosum*, horum, *activum* dixerim. Conf. *Eberhard*, *Geist des Urchrist. Tom.* III. *p.* 287 sq.

(*p*) Hoc propterea monemus, ne quis Fanatismum eundem esse putet, atque *Mysticismum phantasticum*. Fanaticus non minus, quam Mysticus otiosus, obscuras notiones sequitur: i. e. uterque immediate se affici sentit; ipsius autem causae afficientis obscuram notionem habet. Mysticus autem, qui phantasiâ nititur, notionum evidentiam, i. e. rerum divinarum perspicientiam jactat. Ut igitur hic sibi conscius est, se res divinas immediate perspicere, sic ille sibi conscius est, se immediate a Deo affici quodammodo ac moveri.

rum conversionibus nonne vulgi furores docent, plebi potissimum, quæ nullam administrandæ reip. partem intelligit, omnium minime dubiam esse optionem, quas partes sequatur? Atque ita semper fieri solet, ut idearum obscuritas augeat impetum animorum: cujus rei causa supra a nobis exposita est. Cumque, ut diximus, ea obscuritate potissimum feriatur facultas sentiendi, sensus autem principium sit et causa Mysticismi, perspicuum est, quare ejus vis in mulieribus potius, quam in viris, appareat (*q*).

His de universa Mysticismi indole monitis, sequitur, ut, quæ sit ejus vis, quid sibi habeat propositum, quo tendat, exponamus. Argumentum, in quo versamur, viri Eruditissimi, tam late patet, estque illud cum tot rebus gravissimis conjunctum, ut eas singulas si accurate tractare velimus, vix exitum habitura scriptio nostra videatur. Ergo si qua res, quamquam magni momenti, et, ut diximus, cum argumento nostro conjuncta, tamen si qua res neque magnopere in controversia versatur, et ab aliis copiosius explicita est, quam a

---

(*q*) *Zimmermann*, *l. c. p.* 115 sqq. Ceterum vix opus est, ut moneam, illam sensûs vehementiam non esse metiendam externâ aliquâ sui patefactione, aut atrocitate fanaticorum, sed animi intentione atque agitatione. Mysticus, qui dies noctesque umbilicum suum intuetur, eodem sensu movetur, atque ille, qui tecta incendit urbesque diripit.

nobis per hujus disputationis terminos fieri potest, tum brevibus esse nobis liceat, et ad aliorum scripta lectores delegare. Itaque hoc numero habemus quæstionem de *sensu religioso*, quæ etsi a scriptione nostra abesse omnino non potest, atque postea etiam copiosius de ea dicemus, tamen tam ampli est argumenti, ut hoc loco non nisi brevissima esse ejus tractatio queat. Consentiunt optimi quique philosophi, et, ut quisque melior est, ita apertius eloquitur, religionem esse hominum animis insculptam, ut eam cum lacte nutricis suxisse videamur. Est profecto aliquid in nobis, quo, tamquam cognationis vinculo, cum naturâ aliquâ, nobis superiore, nos conjunctos sentimus. Quod cum sua quemque animi conscientia docet, tum omnes nationes declarant, quarum nulla tam fera est, tamque immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio (*r*). Quæ sit hujus sensus communis causa, quod principium, longa disputatio est. Intus est ratio, qua brutis animantibus præstamus, intus lex, ad quam non facti, sed nati, non instituti, sed imbuti sumus. His dotibus veluti impressa quædam est divinitatis nota, earumque obscurus sensus efficit, ut nobiliori quadam stirpe

---

(*r*) Vid. *Cicer. Tusc. Quaest.* L. I. *Cap.* XIII. *Meiners, Oordeelk. Gesch. der Godsd. Tom.* I. *p.* 8 sqq. *Staeudlin, Ideën zur Krit. des Systems der Chr. Relig. p.* 69 sqq.

nos genitos suspicemur (*s*). Sive autem sensus religiosus, sive naturalis quædam ad religionem propensio appelletur, illud et ab aliis demonstratum est, neque facile quemquam negaturum esse, arbitror, ita esse animis religionem insitam, ut non cum iis conjuncta, sed eorum pars aliqua esse videatur (*t*). Ille autem sensus non segnis est, non iners, non somno torpidus, sed suâ ipse naturâ effert se atque enititur ut in arcem aliquam, sic in cognatam divinitatem, hanc caducarum rerum colluviem contemnens atque subter se habens (*u*). Fieri potest, ut errem; sed ita prorsus existimo, si, excitato semel religionis sensu, ratio, quæ nunc tamquam Pallas Homerica manus ei injicere debet, ab hominis natura sejungeretur, nos non, ut Ulyssis socii, in pecudes abituros, sed penitus in Mysticismum nos esse ingurgitaturos.

Est igitur sensus religiosus appetens fontis, a

(*s*) *Reinhard*, *Chr. Mor. Tom.* I. § 15. *p.* 58. ed. 3.

(*t*) *J. F. Kleuker*, *Neue Prüf. und Erklär.* cet. T. II. *p.* 33 sqq. 43 sqq. *Tieftrunk*, *Einzig-mögl. Zweck Jesu*, *p.* 21 sq. *Meiners l. c. p.* 11 sqq. *Flattii Magaz. P.* VI. *p.* 150. *Heeren*, *Ideen uber die Politik*, *den Verkehr* cet. *T.* III. *p.* 67 sq. *Keil et Tzschirner*, *Analekten für das Studium der exeget. u. system. Theol. T.* I. *P.* II. *p.* 193 sqq. *J. A. H. Tittmann*, *über Supranaturalismus*, *Rationalismus*, *und Atheismus*, *p.* 18 sq. *p.* 27 sqq. Nemo autem accuratius hanc rem egit, quam *K. H. Heydenreich*, *Betracht. über die Philos. der naturl. Relig. T.* I. *p.* 1 sqq.

(*u*) *Keil* et *Tzschirner*, *Anal.* l. c.

quo manavit, et quocum suâ naturâ tamquam rivulus conjunctus est. Cumque antea illum dixerimus Mysticum, qui sensu malit, quam ratione, duci, nunc etiam intelligitur, *quo* ille sensus tendat, *quo* ducere conetur eum, qui ipsum sequatur. Hoc sensûs iter est, hic naturalis cursus, ut is, qui ab eo ducatur, *conjungi velit cum Deo:* neque vereor, ne non intelligar (nam magis proprie dicere non possum), si dixero, Mysticum hoc unum spectare, hoc unum moliri, conjunctionem cum Deo. Quæ conjunctio qualis sit, et quomodo eam quærant Mystici, breviter est declarandum. Vox *conjunctio* et impropriam et propriam vim habet. Cum paulo ante ita diceremus, esse aliquid in nobis, quo nos cum Deo *conjunctos* sentiremus, erat impropria dictio. Nihil enim aliud significabamus, nisi eam esse humanæ naturæ excellentiam, ut aliqua nobis cum Deo et similitudinis et cognationis necessitudo intercedere videretur. Hanc cum Deo conjunctionem ut ceteri homines omnes, sic etiam Mystici, *habent*, nec opus est ut eam *quærant.* Quæ autem Mysticis proposita est conjunctio, eam theologorum more *unionem mysticam* appellare liceat, atque eo magis liceat, quod hanc dictionem postliminio mysticæ scholæ vindicamus, quippe a qua in theologorum disciplinam traducta sit (*v*). Hæc igi-

(*v*) *Ernesti*, *Neueste Theol. Bibl. T.* III. *p.* 442. et *Doederl. Instit. Theol. Chr.* § 296 *Obs* 2.

tur est *proprie* ita dicta conjunctio, qua natura humana singulari quâdam ratione divinæ naturæ admoveatur, eique adhæreat (*w*). Hanc conjunctionem cum quærant Mystici, eoque omnem cogitationem convertant, necesse est, ut, quibuscunque impedimentis via ad illam conjunctionem intercludi videatur, ea tollere aliquo modo aut evitare studeant. Neque difficile dictu est, quæ sint illa impedimenta, quibus sensus in medio nixu atque cursu retardetur aut retardari possit, quominus eo, quo tendat, facile perveniat. Nam non tantum *corporis* vinculis animus se adstringi sentit, verum etiam cuncti *adspectabilis mundi* interjectu a divina natura disjuncta est atque separata natura humana. Accedit *ratio*, quæ cum sensu de principatu certat, nec facile contemni se patitur. Hæc sunt sensûs impedimenta, hæc repagula, quæ nisi ante perfregerit, liber evadere atque avolare non potest.

(*w*) Alii Mystici aliter explicant. *Gerson* aliique, eam conjunctionem aut in *puro*, *intimo*, *ab ipso Deo animis instillato*, *amore*, aut *in quadam divinæ humanæque voluntatis mistura*, cerni existimant. Apponam locum *P. Poireti*, *Bibl. Myst. p.* 105: » Unio et perfectio, ad quam homo in hac » ærumnarum valle debet contendere, non est Unio aut trans» formatio plena et fruitiva, futuræ vitæ prærogativa; at Unio » et perfectio Viatorum, fidei adhucdum obscuritate mixta, » quæ in quadam *identificatione* Voluntatis cum Voluntate » Dei consistit, in quam ea hominis adeo sit transformata, » ut Deus dein ipsum formet secundum beneplacitnm suum. » cet." De hac autem conjunctione cum Deo postea plura Mysticorum loca afferemus.

Testor historiam. Multiplex Mysticismi forma est, unum consilium, *conjunctio cum Deo* (*x*). Hoc summum est, hoc extremum, quo referuntur omnia, suntque supremo huic consilio subjecta reliqua, quas illi *Vias* appellant, quibus ad illam conjunctionem perveniatur (*y*). Non vacat, neque hujus scriptionis ratio postulat, ut hic in Mysticæ theologiæ historiam nos conjiciamus, quo id, quod notissimus *Arnoldi* liber quemque doceat, argumentis demonstremus (*z*). Itaque paucis defungemur —

(*x*) *Poiretus*, *l. c. p.* 103. » Omnes Auctores Mystici una» nimiter conspirant, a Deo Opt. Max. nos esse eum in finem » creatos, ut per intimam unionem Ipsi jungeremur."

(*y*) Præcipuæ illæ *viæ* sunt, *purificatio* et *illuminatio*, quibus acceditur ad *intuitionem* Dei, atque cum eo conjunctionem. Quicquid doctrinæ moralis in Mysticismo inest, illud referri debet ad *purificationem:* conf. *Staeudl. Gesch. der chr. Moral*, *p.* 134. Præter duas illas *vias*, *Poiretus l. c. p.* 85. etiam alias commemorat, *viam transformationis*, *Deificationis*, *τοῦ non* EGO, *annihilationis*, *contemplationis activæ et passivæ*, *amoris puri*, *expropriationis*, sive *denudationis*, et *indifferentiæ*. Conf. *B. Corderius*, in Ed. Opp. *Dionys. Areop. Tom.* II. *p.* XVII.

(*z*) *G. Arnoldi Historia et Descript. Theol. Myst.* Multa scripta, quibus Theologia Mystica aut explicetur, aut defendatur, aut oppugnetur, enumerant *Poiretus lib. cit.*, *Walchius in Bibl. Theol. Tom.* II. *p.* 1171. sqq. *Noesseltus*, *Anweis. zur Bucherkentnisz*, § 282. sqq. Desideratur adhuc accurata et pragmatica historia Theol. Myst., quod quidem munus orbis eruditus exspectat a Viro Doct. *F. Lucke:* vid. *Archiv. für alte und neue Kirchengesch. ed. a. C. F. Staeudlino et H. G. Tzschirner*, *Tom.* II. *P.* I. *p.* 123. sqq.

Primus, qui theologiam Mysticam in certam aliquam formam redegerit, fuit Auctor, cujus *Opera*, ementito *Dionysii Areopagitæ* nomine, edidit *B. Corderius*, II. *Tom.* Fol. Antverp. 1633 (*a*). Iste Auctor, qui ceterorum Mysticorum coryphæus fuit, atque eam ob causam unus omnium instar cognoscendus, eam, de qua loquimur, conjunctionem sive *unionem* sæpe prædicat, ut supremum Mysticismi consilium. Huc pertinet locus, *Tom.* I. *p.* 233 sq. *ἀπάσης δὲ ἱεραρχίας τὸ πέρας ἡ πρὸς θεόν τε καὶ τὰ θεῖα προσεχὴς ἀγάπησις, ἐνθέως τε καὶ ἑνιαίως ἱερουργουμένη* (*b*). *Pseudo-Dionysii* sententiam secuti sunt *Bernhardus Claravallensis* (*c*), *Hugo de Sancto Victore* (*d*), *Taulerus*, *Ruisbrochius*, *Gerson*, *Thomas a Kempis*, ceteri Mystici omnes, quorum sententias iis, quæ jam laudavimus, scriptis exposuerunt *Arnoldus*, *Poiretus*, *Schrockhius*, *Staudlinus*, cet. Hi igitur cum omne studium suum eo conferrent, ut arcto quodam amoris voluntatisque vinculo cum Deo jungerentur, necessario, quicquid ipsos ab hac conjunctione prohibere atque a divino commercio secludere posset, illud amovere, effugere,

---

(*a*) Obscuram auctoris rationem illustrare conatus est *Corderius*, scriptâ *Isagogâ ad Myst. Theol. Opp. Dionys. Tom.* II. *p.* XI. sqq.

(*b*) Plura attulit *Corderius* l. c. p. XV.

(*c*) *In Ascens. Domini*, *Sermo* II. *Opp. Vol.* II. *p.* 198 sq.

(*d*) *De substantia Dilectionis*, *Opp. T.* II.

contemnere debebant. Omnino in difficili loco versatur nostra oratio. Nos quidem, qui præcipua Mysticorum scripta diligenter lectitasse videmur, de illa *conjunctione* ita fere sentimus, eam neque esse simplicem in Deum amorem et voluntatis cum divina voluntate consensionem, quæ omnium hominum piorum, non Mysticorum tantum, propria est, neque rursus, humanæ divinæque naturæ mixturam, qua fit, ut in unam naturam coalescant (*e*), sed eam conjunctionem esse medium quiddam, inter utrumque illud conjunctionis genus interpositum; quemadmodum fere *unionem mysticam* explicant *Lutherus*, *Melanchthon*, alii, ut sit *major quidam praesentiae divinae gradus, sive propinquior ad homines accessio in mentibus piorum* (*f*). Apertius rem declarare non possumus; quod si quis ægre ferat, is meminerit, ne ipsos quidem Mysticos apertius declarare, neque declarare posse, cum omnis eorum causa in *sensu* versetur, cujus est perdifficilis explicatio (*g*).

(*e*) Hæc fuit sententia *Beguinarum* et *Beghardorum*: de quibus Mysticis vid. *Schröckh. Kirchengesch. Tom.* XXIX. 667 sqq.

(*f*) Confirmari aliquantum hæc sententia videbatur certis quibusdam in N. T. dictionibus, quæ, ut ita dicam, mysticum quemdam colorem haberent, cujusmodi sunt οἰκεῖν, ἐνοικεῖν, εἶναι, μένειν, μονὴν ποιεῖν cet. Conf. *Beckii Commentar. Decret. p.* 641. sq. et *Mori Dissertt. Theoll. Tom.* I. *p.* 268 sq.

(*g*) Conf. *Schröckhi*, *Kirchengesch. T.* XXIX. *p*, 289. sq.

Sed utcunque intelligatur illa conjunctio, fieri aliter non potest, quin quo ardentiori quis in Deum amore feratur, eo gravius sibi bellum esse censeat cum iis rebus, quæ mentem ab hac conjunctione avocare, et ad se traducere soleant. Ecquid tandem attinet hoc loco persequi optimorum virorum querelas, quorum omnium hæc una semper vox fuit et sententia, difficile esse cum rebus externis certamen, quarum vi et illecebris a communione Dei, tamquam tempestatibus a portu, repellamur? Jam enim corporis necessitatibus tenemur, jam vitæ molestiis frangimur, jam voluptate, tamquam escâ, allicimur, ejusque laqueis irretimur. Quod si his vinculis optimus quisque constrictum se sentit, quid tandem illos sentire arbitremur, qui mysticam eam, de qua loquimur, cum Deo conjunctionem affectent? Hi, ut illam conjunctionem proprie intelligunt, ita rebus in sensus cadentibus, tamquam repagulis, aditum ad Deum sibi atque rursus Deo ad ipsos, intercludi existimant. Et cum superiores illi res externas *ratione* sibi subjicere, iisque in mente, tamquam in scena, secundas tantum partes tribuere soleant, Mystici *vim* adhibent, et cum vereantur, ne earum rerum impetum sustinere non possint, eas *effugiunt.* Hic rerum externarum sive metus, sive contemtus homines pepulit in deserta, casas struxit in sylvis, condidit monasteria, induxit voluntarias corporis castigationes, mendicitatem monachorum, quam om-

nium virtutum reginam appellavit Franciscus. Quibus rebus illud se consecuturos homines arbitrabantur, ut ipsorum cum Deo commercium liberum esset, nullo impedimentorum interjectu obstructum (*h*).

Neque igitur mirum videri cuiquam potest, ab omnibus Theologiæ mysticæ doctoribus hanc solere discipulis scribi legem, ut *recedant a mundo*, i. e. ut ab externarum rerum cogitatione mentem avocent, easque fugiant. Poteram ex unius *Isidori Pelusiotae* Epistolis innumerabilia loca apponere, quibus idem officium Monachis injungatur: sed nos nunc peculiariter de Mysticis. Atque ne rursus Græca verba ponam *Dionysii Areopagitae* (*i*), ejus interpretem audiamus *Corderium* (*k*): » Ad hanc, » inquit, Theologiam cumprimis prærequiritur sta- » tus quidam supernaturalis ipsi proportionatus. — » Dicimus itaque assiduis ad Deum connitendo as- » pirationibus, atque totalibus contrariorum mor- » tificationibus et abolitionibus homines spirituales » status hujus deiformis immutabilitate potiri. — » Neque fas est Mysticis Theologis quicquam ope- » rari, quod divinis inspirationibus vel minimum » repugnet. — Itaque perfecta sui ipsius abdicatio-

---

(*h*) Vid. *Camp. Vitringa*, *Typus Theol. Pract.* Præfat. *p* 2. sq.

(*i*) *Coel. Hierarch.* Cap. III. *Eccles. Hierarch. C.* III.

(*k*) *Isagog. land. p.* XVII.

» ne ac continua in rebus omnibus mortifica-
» tione opus est. — Cum non possit ad unum
» colligi, atque unius pacificæ unionis particeps
» existere, qui secum ipse dissidet, neque liceat
» summe contraria simul participare, vel commu-
» nicationem aliquam cum uno habenti, divisas ha-
» bere vitas, si unius Dei stabilem præferat partici-
» pationem, necessario adhibenda est jugis morti-
» ficatio, ut quis exors fiat et expers omnium uni-
» formitatis divisionum." Sed nolumus in hac barbarie diutius morari. Ceterorum Mysticorum eadem doctrina est. *Richardus de Sancto Victore* hanc externarum rerum fugam cum Israelitarum ex Aegypto discessu comparat (*l*). *Joannes Taulerus* cum aliis in scriptis, tum præsertim in libro: *Imitatio vitae Jesu egenae* (*m*): hanc mentis a mundo avocationem valde commendat, eamque *paupertatem* appellat, qua fiat, *ut Deum, nullo impedimento interposito, intueri possimus* (*n*). Sed quid re-

---

(*l*) *De exterminatione mali et promotione boni*, *Opp. p.* 1. sqq.

(*m*) *Nachfolgung des armen Lebens Jesu.* Exstat in *Collect. Script. Myst. Speneri*, *Tom.* II. *p.* 1. sqq. Francof. 1703. Ad hujus Auctoris intelligentiam utilis est *Oberlini Disp. de Joannis Tauleri dictione vernacula et mystica.* Argentor. 1786.

(*n*) Vid. *Staeudlin*, *Gesch. der christl. Moral*, *p.* 146. *Schröckh. K. G. Tom.* XXXIII. 484. sqq.

liquos persequar? Unus *Arnoldi* liber satis docet, omnes Mysticos consentire, eo sanctiorem esse mentem atque propius ad Deum accedere, quo longius a rebus externis discesserit, et quo constantius ab earum vi et impetu se defenderit.

Nemo est, qui quidem cum Mysticorum scriptis aliquam, ut ita dicam, familiaritatem contraxerit, quin fateri eum necesse sit, in ipsa eorum obscuritate inesse aliquid lenocinii et illecebrarum, quod suaviter in animos nostros influat, nos alliciat, capiat, teneat. Neque vero mirum videri cuiquam potest, si illi, qui hanc semel de Deo rebusque divinis opinionem imbiberint, adeo sunt hujus rationis tenaces, tamque firmiter se ad eam applicant, ut ab eâ nullo pacto se abduci patiantur. Quid enim illustrius, quid magnificentius esse potest, quam res caducas subter se habere, quam mentem habere, nulla terrestri fæce inquinatam, quam singulari aliqua ratione cum Deo immortali esse conjunctum (*o*)? Atque hinc intelligi etiam potest, quare a Mysticis *ratio* i. e. cogitandi facultas *sensui* posthabeatur, negligatur, contemnatur, odiosa sit. Primum enim, ut ante animadvertimus, quo diligentius ratio excolitur, eo magis frigescit sensus. Deinde rationis

---

(*o*) *Gerson* apud *Staeudl.* l. c. p. 165. » contremui, inquit, » ad adspectum majestatis hujus sapientiæ, verens ne perscru- » tator ejus volens fieri, opprimerer a gloria."

decreta non satis firma sunt, atque aliorum dissensionibus, tamquam procellis, jactari ac labefactari possunt; sensus contra in ipso animo est fundatus, nec magis commoveri potest, quam ipse animus distrahi ac dilacerari. Porro constat, eos, qui una ratione nituntur, etsi de religione subtiliter disputent, sæpe tamen religionis esse expertes, qui autem sensûs ductum sequuntur, eo ipso ostendunt se religione imbutos. Deinde, etsi fieri potest, ut per rationem in animo religionis sensus excitetur, est tamen ratio tantummodo *instrumentum*, quo hunc sensum mens suscipiat: quid ergo opus est hoc circuitu, si idem assequi sine hoc instrumento possumus? Denique, facti sumus ad pigritiam. Nervos intendere ratio debet, quo id consequatur, quod sua sponte in sensum otiosum atque inertem influit atque illabitur.

Jam omnis eruditio, quæ ex ingenii cultu efflorescat, atque a sensu religionis sejuncta sit, quantopere Mysticis aut prorsus invisa sit, aut eo ab iis numero habeatur, ut cum divino illo animi sensu comparari nullo pacto queat, quid opus est, ut persequamur? Hoc unum etiam animadvertimus. Cum Mystici nullo intervallo (immediate) cum Deo se conjunctos jactent, atque sentiri a se *praesentem* Numinis vim dictitent, Sacra autem Scriptura, æque ac ratio, tantum *instrumentum* sit, quo religio hominum animis admoveatur, res ipsa loquitur, illam etiam, si quidem sibi consentanea dicere volunt,

ut inutile quiddam ac supervacuum, aut prorsus nihili fieri debere a Mysticis, aut ita certe tractari, ut neglecto proprio (literali) verborum intellectu, mysticus sensus, tamquam oraculum quoddam, de Sacrarum Literarum interpretatione consulatur. Atque utrumque ita, ut diximus, fieri solere, Mysticorum historia docet.

Vergit ad finem hæc de *universo* Mysticismo disputatio. Locuti sumus de ipso fonte, cujus singulos rivulos persequi non vacabat. Neque enim exitum reperisset oratio, si de singulis Mysticorum sectis dicere voluissemus, de *Hesychastis* (*p*), de *Schwenkfeldianis* (*q*), de *Quakeris* (*r*) aliisque hujus generis hominibus (*s*). Sunt autem hæc non eo con-

---

(*p*) *Rechenbergii Exercitt. p.* 378. sqq.

(*q*) *Die wesentliche Lehre Schwenkfelds und seiner Glaubensgenossen*, 1740.

(*r*) *G. Croesi Hist. Quaker.* 1704. *W. Shewel*, *Gesch. von dem Ursprung*, *Zunehmen und Fortgang des chr. Volks*, *so Quäker genannt werden*, 1742. *G. W. Alberti*, *Aufr. Nachricht von der Rel. Gottesd*, *Sitten und Gebrauch. der Quäker.* 1750.

(*s*) Plura, quæ ad naturam Mysticimi cognoscendam pertinent, afferunt *Colberg*, *Platonisch-Hermetisches Christenthum*, *begreifend die hist. Erzählung vom Ursprung und vielerley Secten der heut. fanat. Theol.* 1710. *Bruckerus*, *de Theosophicis*, *in Hist. Crit. Philos. Tom.* IV. *p.* 644 sqq. *Corrodi Krit. Gesch. des Chiliasm.* Ejusdem *Beyträge zur Beförd. des vern. Denk. in der Rel. P.* IV. p. 1—16. *Adelung*, *Gesch. der menschl. Narrheit: H. Stilling*, *Theobald oder die Schwärmer: Zimmermann*, *over de Eenzaamh.* Tweede Deel.

silio a nobis exposita, ut antiquiores Mysticos cum recentioribus, de quibus nunc dicendum est, compararemus, sed ne vaga esset et indefinita oratio, utque antequam de Mysticismi, quem nostro tempore multi sequerentur, causis dissereremus, intelligeretur, quid esset *Mysticismus*, et quid sibi haberet propositum. Numquam enim se ipsa deserit humana natura: et quamquam nostrorum hominum Mysticismi haud uno nomine alia est forma atque species, quam eorum, de quibus adhuc locuti sumus, illud tamen nos effecturos esse arbitramur, utrorumque communem esse causam ac rationem, non aliunde arcessitam, sed ab ipsa animi humani indole, sui semper simili sibique constanti, ductam atque haustam.

CAPUT I.

DE PRÆSENTIS MYSTICISMI CAUSIS.

Germaniam cogitabatis, Viri eruditissimi, cum hanc de Mysticismo quæstionem poneretis. Recte autem sumsistis, ut rem satis cognitam, a multis in Germania his temporibus revocatum esse Mysticismum, atque in eo poni solere vim ac naturam religionis. Quod nisi ita fecissetis, nobis quidem omnium primum hoc fuisset agendum, ut et esse vere Mysticismum, quem Vos ita appellaretis, probaremus, et ejus naturam explicaremus. Nunc autem non opus est, ut hoc singulari aliqua hujus scriptionis parte agamus: eum autem fore hujus disputationis cursum arbitramur, ut hujus, de quo nunc quæritur, Mysticismi natura ex iis, quæ dicturi sumus, facile intelligi queat. Eo autem gratius nobis accidit, quod in hac causa nobis brevibus esse licet, quod propter reliquæ materiæ copiam, hanc disputationem solito longiorem fore videmus. Mysticam igitur de religione sentiendi rationem cum multi nostro tempore Theologi ac Philosophi sequantur, quæritis hujus rei causas. Quæ Vestra quæstio, Viri eruditissimi, si eo valeret, ut declarandum nobis esset, quibus causis *singuli*

eorum, qui hanc rationem probarent, commoti fuerint ut eam susciperent, nos quidem in hoc disserendi certamen numquam descendissemus. Sunt enim infinitæ hominum varietates, quibus fit, ut aliis rebus alii moveantur. In ipsa animi indole, in corporis temperatura, in rebus externis, positæ sæpe sunt causæ, cur alia sectemur, fugiamus alia. Et ne a proposito aberret oratio nostra, quis tandem ignorat, quantum sint alii aliis ad Mysticismum propensiores? Sed neque per hujus scriptionis brevitatem, neque per Vestrum consilium fieri potest, ut has hominum varietates persequamur. Quæritis enim, quare *hoc* præsertim *tempore* Mysticismus multis placeat. Nunc igitur hujus rei causas exstare arbitramini, quæ alias aut numquam exstiterint, aut non ita conjunctim exstiterint, aut, si exstiterint, æque ac nunc, Mysticismum peperierint. Has autem causas, omissis iis, quæ singulorum hominum propriæ sint, a nobis explicari vultis. Et quando Theologos ac Philosophos eâdem estis quæstione complexi, nostra etiam disputatio utrumque genus conjunget. Quæritur enim de Religione, quæ, quatenus a *rationis* fonte ducitur, ad Philosophorum æque ac Theologorum ditionem pertinet; atque ut Theologi, cum Religionis naturalis doctrinam tractant, philosophantur, sic Philosophi, cum idem faciunt, Theologi appellari debent.

Omnis autem hæc disputatio bifariam distribuenda nobis videtur. Theologi enim illi atque Philosophi, de quibus quæritur, vel ut *homines* spectari possunt, a quibus nihil humani alienum sit, vel ut homines *docti*. Hinc duo constitui genera causarum possunt, a quibus nostri temporis Mysticismus profectus sit, alterum *universalium*, alterum *singularium*. Causæ *universales* ad *omnes* hominum ordines, adeoque ad doctos etiam homines pertinent, atque afferunt quandam ad Mysticismum propensionem: *singulares* causæ doctorum hominum peculiares sunt, quippe positæ in singulari aliqua Theologiæ aut Philosophiæ disciplina, quæ aliquo tempore prævaleat, atque eam vim habeat, ut illam propensionem augeat et adjuvet, atque Mysticismo certam aliquam ac definitam formam tribuat. Nos quidem de utroque causarum genere, quoad ejus fieri poterit, breviter simul ac perspicue dicamus.

Quam tamen rem antequam agamus, hoc loco aliquid monendum est, quod a lectoribus probe memoriæ mandari velim. Cum paulo ante Mysticismi naturam explicaremus, atque ex ipsis Mysticorum scriptis loca apponeremus, quæ, quam late ea notio pateret, declararent, vidimus Mysticismum tam ad phantasiam, quam ad sensum referri posse, ejusque non tantum eam vim esse, *ut animus immediate vi divina afficiatur*, verum etiam, *ut homo mentis ocu-*

lis immediate, *i. e. nullo impedimento interposito*, *divinam naturam ac res divinas perspicere possit.* Est igitur, si ipsa Mysticismi quasi sedes spectatur, duplex ejus genus, in *sensu* positum et in *phantasia*, sive *practicum* et *theoreticum*, *religiosum* et *theologicum.* Cum igitur in eo simus, ut causas hodierni Mysticismi explicemus, fortasse quis putet ubique nos monituros esse, de utro Mysticismi genere nobis sermo sit. Nos autem hoc facilius a lectoribus intelligi, quam a nobis explicari arbitramur. Est utriusque generis eadem fere necessitudo, quæ Religionis ac Theologiæ: quamobrem *religiosum* etiam et *theologicum* Mysticismum appellavimus. Quemadmodum igitur fieri propemodum non potest, ut, sive Religionis sive Theologiæ res agatur, id non etiam quodammodo ad alteram partem pertineat, sic in causa præsenti verissime dici potest, utriusque Mysticismi mutuam fuisse et adhuc esse vim et efficaciam, ut et theologicus Mysticismus religioso, et vicissim hic illo adjuvaretur. *Universe* igitur sic statuimus, *causas Mysticismi universales*, de quibus priori loco dicturi sumus, præcipue spectare Mysticismum *Religiosum*, ita tamen, ut in iisdem illis causis insit *Theologici* Mysticismi haud mediocre adjumentum, et quasi pabulum quoddam. Quas autem Mysticismi causas *singulares* dicimus, et *Eruditorum proprias*, sunt illæ duplicis generis. *Alterum* genus, in Kantiana et Fichtiana philosophia positum, eas causas

complectitur, quæ haberent quandam Mysticismi præparationem, cum *religiosi*, tum *theologici*. Religiosi: quod altera philosophandi ratio ut *rationis* auctoritatem circumscripsit, sic *sensum* acuit et excitavit, altera divinam naturam cum humanâ arctissime *conjunxit*, et huic quasi *admiscuit*. Theologici: quod nisi Kantiana ac Fichtiana philosophia antecessisset, numquam fortasse nata fuisset Schellingiana, quæ Mysticismum, a superioribus philosophis inchoatum, ita perfecit, ut utriusque, et religiosi et theologici, mater et altrix appellari debeat. In hac igitur philosophia positum est *alterum* genus causarum Mysticismi singularium.

Sed aliud quid etiam monendum restat, ad præsentis disputationis intelligentiam non minus necessarium. Explicuimus in Prolegomenis, quem proprie diceremus Mysticum. Nec tamen hoc ita intelligi volumus, quasi per omnem hanc disputationem, quoties Mystici aut Mysticismi nomen usurpabimus, toties hujus notionis vim æque late patere velimus, atque eam in Prolegomenis constituimus. Est enim huic voci varia nec satis definita subjecta vis: quo fit, ut is etiam Mysticus appellari soleat, in quem non omnes, sed præcipuæ tantum illius definitionis partes cadant. Fuit nostra bipartita disputatio: alterâ parte docuimus, quid sit Mysticismus, alterâ, quid consequi velit, aut consecutum se jam putet. Et Mysticum quidem definivimus eum, *qui in religionis causa sensu potius, quam ratione duca-*

tur. Quam definitionem ita porro dilatavimus ut *sensûs* vocabulo intelligeremus *notiones obscuras sensûs proprias; non ratione duci* explicaremus voce *immediate;* et huic rursus voci subjiceremus notionem *immediatae efficacitatis divinae.* Sed, quamquam multi Mystici hanc divini Numinis vim a se sentiri jactant, atque eam ob causam hunc sensum ad Mysticismi notionem retulimus, intelligitur tamen hanc vocis *immediate* explicationem esse quodammodo *arbitrariam*, nec *necessariam. Sine rationis ope*, i. e. *immediate duci*, non id continuo significat, *a Deo duci*, *a Deo affici.* Neque *qui sensu ducitur*, continuo ducitur sensu *a Deo excitato.* Est igitur, ut diximus, divini Numinis notio in hac definitione quodammodo arbitraria, et potest ab ea abesse. Satis est ad Mysticismi notionem *immediate duci*, sive obscuris sensûs ideis, sive phantasiâ, absque eo, ut aut illum sensum a Deo moveri, aut hanc phantasiam ab eo adjuvari necesse sit. — In altera disputationis parte docuimus, Mysticum sectari aut consecutum se jam putare *conjunctionem cum Deo.* Quæ res rursus eam notionis varietatem affert, ut Mysticus dici possit is, qui ad eam conjunctionem adspiret, aut eam jam adeptum se esse putet, etiamsi *ratione* potius agat ac nitatur, quam *sensu.* Non quo iste Mysticismus sensu careat aut carere possit; sed ejusmodi est, ut sensus *sequatur*, non *præeat.* Qui sibi ita persuaserit, hoc Universum

esse Deum, atque *se esse in Deo:* quæ sane arctissima est cum Deo *conjunctio:* is igitur si in eam sententiam inductus sit, non *sensu*, sed *ratione*, ut v. c. Spinoza; non ille propter eam sententiam, per se spectatam, Mysticus dici aut debet aut potest. Sed *fit* Mysticus; i. e. fieri per humanam naturam aliter non potest, quin si eam sententiam *ad se* referat, tamquam divinæ naturæ partem, ipsius *sensus* μυστικῶς excitetur. — Hæc nobis de Mysticismi notione parum constanti ac definita monenda videbantur, ne quis nimis urgeret superiorem illam definitionem, eamque nobis identidem objiceret. — Sed jam veniamus in rem præsentem.

SECTIO PRIMA.

CAUSÆ MYSTICISMI UNIVERSALES.

§ I.

Infausta religionis in Germania conditio.

REM agam et injucundam et a consilio hujus scriptionis alienam, si exemplis et argumentis docere velim, infaustam fuisse recentiori ætate religionis in Germania conditionem. Non loquimur tantum de *religionis doctrina*, verum etiam, ut hoc verbo utar, de *religiositate*, quarum illa, religio *objectiva*, hæc, *subjectiva* appellari solet. Est enim ea utriusque conjunctio, ut alterâ cadente, alterius etiam ruina sequatur. Loquimur autem de re facta, atque ita omnibus notâ, ut opus esse demonstratione non videatur (*o*). Sed operæ pretium et

(*o*) Videantur modo, ne alias memorem, *Flugge*, *Hist-krit. Darstell. des Einflusses der Kantischen Philos.* cet. *Tom.* I. *p.* 45 sqq. *I. A. H. Tittmann*, *Pragmat. Gesch. der Theol. und Relig.* cet. *Tom.* I. *p.* 326. *D. Ienisch*, *Kritik des dogmatischen*, *idealist. und. hyper-ideal Religions und Moral-Systems*, Lips. 1804 in Præf. Huc quoque pertinent

ad consilium nostrum accommodate facturi videmur, si, qua viâ et ratione in hanc conditionem religio deducta sit, breviter declaremus. Si enim de hodierni Mysticismi causis quæratur, nos autem earum unam positam esse in peculiari religionis statu arbitremur, necesse est, ut de hujus statûs causis aliquid dicamus.

Cum homini nihil carius, nihil antiquius esse possit, quam ut de Religione *libere* et sentire et sententiam dicere ipsi liceat, magnæ profecto gratiæ agendæ sunt *Luthero* ceterisque ejusdem laudis sociis, qui, humanæ auctoritatis jugo excusso, et ip-

---

scripta eorum, qui religionem a contemtu vindicare ac prisco honori suo restituere conati sunt, quique morbum describere solent, antequam curationem adhibeant. Præcipua laudabo. *C. A. Iänichen: Die einzig richtigen Mittel, um die in unsern Zeiten überhandnehmende Gleichgültigkeit gegen die Religion zu vermindern*, Brandenb. 1804. *C. W. D. Hoffmann*, *Ein Wort über die herrschende Irreligiosität und einen zweckmässigen Religionsunterricht, als das wirksamste Mittel dagegen*, Berol. 1804. *Ueber das religiöse und sittliche Verderben unsers Zeitalters, und die Mittel, ihm abzuhelfen; in freundsch. Briefen, herausgegeb.* von *J. M. R.* Biberach 1805. *Schleiermacher, Zwey unvorgreiflichen Gutachten in Sachen des protest. Kirchenwesens, zunächst in Beziehung auf den Preuss. Staat*, Berol. 1804. Ejusdem liber: *Ueber die Relig. Reden an die Gebildeten unter ihren Verächtern.* ed. 2.da Berol. 1806. Inprimis vero commendandus est liber: *Von dem Verfall und der Wiederherstell. der Religiosität* cet. *von F. C. Roll.* II. *Tom.* Neustrel. 1809, 10.

si in libertatem se vindicaverint, et id effecerint, ut hac præcipue notâ Protestantium ecclesia a Pontificia distingueretur. Sed quoniam ea, quam deseruerant, ecclesia Traditionis et Patrum auctoritatem jactabat, nihil ad expugnandam eam Pontificiorum arcem magis valere videbatur, quam si efficeretur, quantopere ecclesia catholica ab orthodoxorum Patrum doctrinâ discederet. Itaque Reformationis — sic enim appellari solet præclara illa Religionis instauratio — Reformationis igitur consilium eo spectabat, ut ea religionis forma restitueretur, quæ fuerat sæculis *quarto* et *quinto*. Et quoniam Patres, qui his sæculis floruerant, præcipue autem *Augustinus*, Jesu et Apostolorum doctrinam accurate expressisse sumebantur, perinde erat sive ab illorum Patrum scriptis, sive ab ipsis Sacris Literis, sententiarum argumenta peterentur. Hanc vim habebat Polemica. Ecclesia enim catholica cum S. Sæ. tum Patrum auctoritatem usurpabat. Si igitur illi Heroes unius S. Sæ. auctoritatem adhibuissent, res, ut videbatur, non fuisset confecta: stetisset enim alterum adhuc ecclesiæ fundamentum. Itaque sive quod *Luthero* ceterisque adhuc priscæ fæcis aliquid adhæresceret, sive quod ea res ad pacem ecclesiæ pertinere videretur — neque enim *Lutherus* tantam rem primum cogitaverat, quantam effecit — satius videbatur eorum, quos memoravimus, Patrum causam cum Sacris Literis conjungere, atque cum harum tum illorum auctoritate

concessâ et agnitâ, efficere, Pontificiorum commenta nihil habere, quo niterentur. Ipsi igitur Reformatores, dum liberi esse et suo judicio uti volebant, Patribus se quodammodo emancipabant.

Noli quærere, quam perniciosa hujus rei vis fuerit in cunctam Theologiam. Constituti sunt Libri Symbolici ita ad illorum Patrum doctrinam accommodati, ut ipsi eos scripsisse viderentur. Major labes erat, quod posteri istis scriptis illibatam et æternam auctoritatem tribuebant. Tantum profecto optimi illi viri nunquam sibi arrogaverant. Plus semel *Lutherus* monet, fundamenta tantum doctrinæ a se esse posita; posteris exstructionem esse relictam. Commenticia ista auctoritas obruit, vinxit, hebetavit ingenia. Non is ego sum, qui ejusmodi librorum magnam posse utilitatem esse negem: sed hæc nisi adsit exceptio: *quatenus cum Sacris Literis conveniant*: aut ego fallor, aut nulla potest in Theologiam capitalior pestis importari, quam horum librorum auctoritas (*p*). Non possumus omnia persequi, sed omnium intelligentium consensione freti, hoc contendimus, ista auctoritate, tamquam sopore, oppressam, duo fere sæcula dormivisse Theologiam. Si enim post editas *Centurias Magdeburgenses* studium Historiæ Ecclesiasticæ re-

---

(*p*) Vid. *G. C. Müller*, *Protestantismus und Religion*, p. 12 sq.

frixit, quippe quæ disciplina perfecta jam et consummata videretur, quantopere tandem Theologorum ingenia enervare debuit illorum librorum sanctitas, quibus par fere atque Sacris Literis auctoritas tribuebatur.

Nec tamen libertatis conscientia æternum sopita jacere potuit; evigilare cœpit inde a medio Sæculo XVIII. Multæ erant causæ, quibus excitaretur (*q*): tanti autem secuti sunt motus, quantos, tam brevi quidem temporis spatio, Christiana ecclesia numquam ante tulerat. Iam sæculo XVII. et initio sæculi XVIII. nonnulli paulo liberaliori, quam fieri solebat, ingenio Theologiam tractaverant. *Georgius* quidem *Calixtus*, vir optimus, cum Christianorum sectis inter se dissidentibus pacis auctor esset, leniorem jam ac liberiorem, quam alii, de Theologia disserendi rationem adhibuerat. Secuti sunt *Pietistae*, *Spenerus*, *Frankius*, alii, qui non in disputandi subtilitate, sed in virtutis exercitatione, Christiani hominis laudem ponebant; quo fiebat, ut de multis doctrinæ ecclesiasticæ partibus non tam magnifice, quam alii Theologi, sentirent. Itaque ab iis, qui orthodoxos se appellabant, magni ad-

---

(*q*) Has causas explicuerunt Hist. Eccl. Recent. Scriptores, *Schröckhius*, *Tzschirnerus*, *Henckius*, *Ypejus*, *Tittmannus*, alii. Nos quidem brevitatis causâ sequimur Auctorem Anonymum libri: *Die Aufhellungen der neueren Gottesgelehrten*, Lips. 1807.

versus Pietistas clamores sunt sublati. Altiori etiam voce Theologos in libertatem asserere conati sunt *Thomasius* et *Pfaffius*. Animis sic aliquantum emollitis, paulatim legi cœpta sunt scripta aliter sentientium, *Socinianorum* potissimum et *Remonstrantium*, quorum illi ingenio et subtilitate, hi vero omni doctrinæ et eruditionis genere, tantum orthodoxis antecellebant, quanto eorum judicium ab auctoritatis humanæ vinculis erat liberius. Ab horum libris ad scripta *Deistarum Anglicanorum* fiebat progressio; sequebantur Deistæ *Francici*. Cum hi, tum illi, pleraque stolide, imperite, impudenter; sed satis ad commotionem animorum. Neque Deistarum tantum scripta, sed etiam eorum, qui religionis causam adversus Deistas tuiti erant, in Germaniam translata. Cognosci cœperunt et nomina et studia *Clarckii*, *Whistoni*, *Taylori*, *Lockii*, *Bensoni*, *Lardneri*, aliorum. Orta est philosophia Wolfiana, ad cujus auctoritatem, tamquam aurum ad obrussam, Dogmatica cœpit exigi. Hinc multa et subtilius et liberius. Exstitit Borussiæ Rex *Fridericus Secundus*. Ipse libero de religione judicio usus, noluit civium suorum ingenia vinculis constringi. Publica auctoritate annunciata est sentiendi, disserendi, scribendi libertas, paulo post in protervitatem abitura. Quid cetera persequar? Curante *Friderico Nicolao* scribi edique cœpit populari sermone celebris illa *Bibliotheca Universalis*, cujus quanta in omnem disciplinam Theologicam

vis fuerit, nemo ignorat. Secutum est accuratius philologiæ, critices, et hermeneutices Sacræ studium, quo liberalior cogitandi disputandique ratio inducebatur. Investigatæ sunt multorum dogmatum origines ac progressiones; sejunctum est quicquid erat humanæ auctoritatis. Tandem homines sibi persuadebant, religionem Christianam *perfici* posse ac debere; Sacris Literis tantum elementa doctrinæ contineri, rationis esse humanæ eam doctrinam consummare ac veluti ad perfectam maturitatem perducere.

Isti igitur motus partim antecesserunt et effecerunt, partim comitati sunt et adjuverunt, magnam illam Dogmatices conversionem, cujus initium fere cadit in superioris sæculi annum sexagesimum. Viri docti, *G. F. Meyerus*, *Basedowus*, quos deinceps *Purgoldus*, *Wielandus*, aliique secuti sunt, illi igitur hoc primum agebant, ut hominibus jus vindicaretur *libere* de religionis doctrina judicandi. Tum primus ingenii liberi impetus factus est in eos ipsos, de quibus diximus, libros Symbolicos, quippe quorum auctoritate judicii libertas tolli videretur. Istam auctoritatem, ne de *Crichtono*, *Robertsono* aliisque dicamus, inprimis impugnavit *A. F. Buschingius*, cujus scripta magnos motus peperere. Exortus est *Semlerus*, unus omnium eruditissimus Theologus. In eo apparet, quanto jure *Spenerus*, *Frankius*, ceterique Pietistæ in eorum numero habeantur, qui ad efficiendam

eam, de qua loquimur, Dogmatices conversionem haud parum contulerint. Ipse enim *Semlerus* a *Collegiis Pietatis* erat profectus, quod cum eo valeret, ut ad *virtutis Christianae exercitationem* omnia referret, ab hac Semleriana pietate vide quanta manaverit disciplinæ Theologicæ immutatio. Nam non tantum habebat animum a spinosis Theologorum rixis ac definitionibus dogmaticis alienum, sed etiam suo ipse ingenio et veri studio ferebatur eo, ut multas Systematis Theologici partes unâ niti auctoritate humanâ ostenderet. Contulit se ad historiam, effecit quod voluit, et Historiæ Dogmatum stator exstitit. Eorum autem Dogmatices locorum difficilior erat tractatio, quæ ut ab ipsis Sacri Codicis fontibus hausta esse, negare non poterat, ita magni facere nolebat, quia ad *animi emendationem*, quâ ille metiebatur omnia, parum valere viderentur. Quid fecit? temporum, locorum, hominum rationem esse habendam, contendebat; multa in Sacris Literis reperiri, ad eorum, qui ante hæc multa sæcula vixissent, ingenia accommodate dicta, nunc vero, aliis temporibus, locis, hominibus, rescissa et abrogata. Hinc illa de *Accommodatione* sententia, quæ, quamquam in Patrum scriptis jam celebrata (*r*), tamen a *Semleri* inde tempore mag-

(*r*) Vid. *Cari Diss. Historia antiquior sententiarum eccl. græcæ de accommodatione Christo inprimis et Apostolis tributa.* Lips. 1793.

nopere percrebuit et leges hermeneuticas valde immutavit. Adhiberi igitur voluit vir eruditissimus *Interpretationem Historicam*, cujus hoc munus esset, ut non tantum temporaria ab iis, quæ perpetuam vim haberent, discerneret, verum etiam adhibita face historiæ inquireret, num Jesu Apostolorumque æquales eorum verbis aut eandem aut aliam vim tribuerint, quam nos iis tribuere soleamus. Neque constitutus Sacrorum Librorum Canon integer evadere potuit. Primum libros Canonicos divinæ auctoritatis esse debere, statuebat: tum divinitatis notam constituebat, argumenti salubritatem et utilitatem ad animi morumque emendationem. Quæ sententia quo eum perducere debuerit, facile intelligitur. Multi libri in Canonem recepti *Semlero* videbantur nihil continere, quo virtutis studium ali, augeri, adjuvari posset. Itaque de loco dignitatis, quem adhuc tenuerant, dejiciebantur. Denique cum libri præstantiam et vim in animos pro maximo haberet divinæ originis argumento, facile perspicitur, quo loco ac numero habere debuerit *externa*, quæ dicuntur, argumenta, miracula ac vaticinia.

Versatus sum paulo copiosius in causa *Semleri*, quia, hac cognita, facile intelligitur, unde paulatim exstiterit is, de quo loquimur, religionis contemtus. Multa *Semlerus* temere et inconsiderate: sed et errores multis iisque egregiis ingenii inventis compensavit, et eo libentius ei ignoscimus,

quod pio ac religioso animo in hoc negotio versatus est. Sed exstiterunt minuti Theologi, » qui, » cum, quantus ille vir fuisset, ne suspicari qui» dem possent, lumen doctrinæ, ab ipso accensum, » ita adhiberent, ut religioni non lucem afferre, » sed faces inferre viderentur (*s*)." Quis enim non videt, quantopere *Semleri* doctrina, male intellecta et temere adhibita, valere debuerit ad omnem et theologiam et religionem pervertendam (*t*)? Antea, cum Sacræ Scripturæ *divina* auctoritas esset tributa, *divinitatis* nomen proprie erat acceptum. Nunc vero paulatim illa vox latiori sensu usurpari cœpit, atque *divinum* appellatum est omne id, quod *utile* esset ad animi emendationem. Labefactaverat enim *Semlerus externa* illa et *historica* argumenta, quibus illa divinitas, *proprie* sic dicta, unice fundari potest. Sed non difficile erat ad intelligendum, nomen divinitatis esse retentum, rem ipsam interiisse. Itaque Sacræ Literæ sensim

---

(*s*) Usus sum meis ipse verbis, in *Commentatt. de Euang. Joann. Part.* I. *Præfat p.* VII.

(*t*) Non vacat hoc loco particulatim persequi, ad quænam potissimum religionis placita ea, de qua loquimur, disciplinæ theologicæ conversio ita pertinuerit, ut non tam immutata, quam penitus sublata videantur. Conferri debent *I. A. H. Tittmann*, *Pragm. Gesch. der Theol. und Rel.* cet. et Auctor libri: *Die Aufhell. der neueren Gottesgel.* ne alios nominemus.

eodem loco ac numero haberi cœperunt, quo alia quævis scripta humana, quæ aliquam vim haberent ad corrigendos mores. Sed Sacri Codicis deterior etiam erat conditio. Multa continet ratione humana superiora, et, ut multis quidem videbatur, ad animi emendationem parum fructuosa. Hæc igitur aut qualicunque interpretatione ad rationis humanæ ditionem detrudebantur, aut, si vis inferri verbis non posset, ab *Accommodationis* fonte derivabantur. Neque doctrina tantum, verum etiam magna historiæ pars equuleo imponebatur. Simul atque enim decretum erat, non opus esse *externis* argumentis — qualia sunt ea, quæ a vaticiniis ac miraculis duci solent — facile eo delabebatur aliorum temeritas, ut, quod neque utile neque necessarium esset, id ne verum quidem esse, contenderent. Itaque, quamquam de rei agendæ ratione non inter omnes conveniebat, tamen in hoc consentiebant, quicquid in Historia Sacra præsentem et extraordinariam Numinis vim testaretur, id esse tollendum. Alii modestius eam rem agebant, alii audacius, multi etiam cavillabantur. Et ne eruditi tantum istis mysteriis initiarentur, vernacula lingua hæc sapientia in libris explicabatur, quin etiam, ne plebecula ignoraret, de Sacra Cathedra, tamquam de tripode, ista oracula certatim effundebantur.

Jam quid commemorem, isti motus quantopere concusserint religionem? De illustri loco, quem

adhuc obtinuerat, deturbata erat Sacra Scriptura, atque satis bene secum agi existimare debebat, si vel aliquo adhuc loco ac numero haberetur. Nam non tantum divinæ auctoritatis honore orbata erat, verum etiam plus noxæ, quam utilitatis habere videbatur, nisi multis partibus circumcideretur. Neque fugiebat intelligentiores, non propter singularem aliquam argumenti præstantiam quicquam adhuc tribui Sacris Literis, sed populi causa, et quod vetus consuetudo ita ferret. Religionis autem doctores non tantum non dissimulabant, se religionis causam desperare, verum etiam, ut diximus, præ se ferebant. Ab his doctoribus labes pervasit ad homines honoratiores, quippe qui illorum scripta cupide lectitarent. Deseri cœperunt templa. Cultûs divini contemtum secuti sunt mores dissoluti.

In mediis illis turbis exorta est Philosophia Kantiana, de qua cum postea uberius simus exposituri, nunc paucis defungamur. Primum illa philosophia parum curari, tum paulatim attendi ac respici, denique cum religione Christiana conjungi et comparari. Hæc conjunctio primum eo valebat, ut, quicquid una auctoritate divina niteretur (*positivum*), id ab hujus religionis doctrina semoveretur, atque totum ejus argumentum ad illius philosophiæ auctoritatem componeretur. Tantum igitur aberat, ut hac ratione Literis Sacris antiquus suus restitueretur honos, ut hæc philosophia confirmare etiam videretur judicium eorum, qui jam

Sacrum Codicem illo honore spoliaverant. Tum ipse *Kantius*, scripto celebri illo *de Religione* libro (1793), declaravit, quæ esset philosophiæ suæ cum doctrina Christiana conjunctio. Quid quæris? Mirabilis facta est rerum conversio. *Kantius* desertam Sacræ Scripturæ causam ita suscepit ac defendit, ut nil magis vereri videretur, quam ne antiqua illa et obsoleta orthodoxia quid detrimenti caperet. Sed, ut verum fateamur, nomina crepabantur, res ipsæ abjiciebantur. Multa ille de Peccato Originali, de Filio Dei, de peccatorum remissione, de ecclesia, de aliis doctrinæ Christianæ partibus: sed hæc placita ita ad philosophiæ suæ nutum torquebat, ut cuique, qui non prorsus esset excors, perspicuum esset, præter nomina nil esse ab eo relictum. Iam sentiebat, hoc ei inprimis esse agendum, ut, cum orthodoxiæ patronus vellet videri, ipsius theologia ne cum Sacris Literis pugnaret. Quid fecit? Expedire se non potuit, nisi commendata *Morali Sacrae Scripturae Interpretatione*, eo consilio excogitatâ, ut ne quid a Christo ejusque Apostolis dictum videretur, quod non esset Kantianum. Non ego disseram, quantopere hæc ratio placuerit levibus homunculis, qui, omnium literarum rudes, hanc inscitiæ impunitatem nacti, quicquid vellent, e Sacris Literis extunderent, atque in cathedris et in libellis suis se mirifice jactarent. Illud autem intelligi arbitror, sive hac, sive illa ratione philosophia Kan-

tiana ad Christianam religionem accommodetur, utramque rationem eo valere, ut Sacrarum Literarum argumentum philosophiæ judicio subjiciatur. Tantum autem abest, ut illa interpretandi licentia ad tuendum augendumque S. Codicis honorem conferre quicquam possit, ut potius contemtum cavillationemque afferre debeat (*u*).

Quæ cum ita sint, otio abutar, si multis verbis docere velim, in omnibus his commotionibus quid primum ac præcipuum fuerit. *Semlerus* jam, quamvis ille divinam Sacrarum Literarum auctoritatem tuitus esset, tamen cum ita posuisset, nil divinum esse, nisi quod utile esset, cujusque utilitas sentiri ab hominibus et intelligi posset; sic igitur cum statuisset, jecerat jam fundamenta ejus sententiæ, quæ postea plurimis placuit, cum de religione quæreretur, primas judicandi partes ita esse *rationi* asserendas ac deferendas, ut ejus auctoritati ipsa Sacra Scriptura subjiceretur. Quæ sententia cum latius in dies serperet, atque a variis varie exornaretur, perspicuum est, eos, qui hanc rationem sequerentur, vehementer offendere debuisse in iis doctrinæ sacræ partibus, quæ, *rationis* captum superantes, unâ niterentur auctoritate divinâ: nos quidem usitato vocabulo *positiva* placita appelle-

---

(*u*) Vid. libellus: *Die neue Kirche, oder Verstand und Glaube im Bunde*, Berol. 1815. *p.* 7 sq.

mus. Et tamen tolli hæc placita atque pro nihilo putari non poterant, nisi prius everterentur illa Dogmatices capita, ex quibus eorum, quæ diximus, placitorum positivorum veritas penderet. Si enim antiquorum Theologorum sententia de Sacrarum Literarum Auctoritate divina, de Inspiratione, de Canone, hæc igitur sententia si recte se haberet, nihil magis ab ea alienum esse poterat, quam Sacri Codicis argumentum rationis humanæ judicio subjicere velle. Sed de his antiquæ Dogmatices locis quomodo et quam varie disputatum sit, longum sit referre, neque ad hanc scriptionem attinet. Satis est animadvertisse, Revelationis divinæ eam esse informatam notionem, quæ ad illum, de quo loquimur, Rationalismum: sic enim appellant: egregie esset apta (*v*).

Hæc autem sententia, nihil esse in religionis doc-

(*v*) *G. C. Müller*, *Protestant. und Relig. p.* 119 *sqq.* Paulo post apparebit, ita semper accidisse, ut, cum Rationalismus nimis se efferret et unus principatum obtineret, Mysticismus sequeretur, qui illum de honoris gradu dejiceret. Quatenus igitur *Kantiana* philosophia Rationalismum adjuvit, eatenus Mysticismum adjuvit, eique viam munivit. Sed quisque intelligit, hoc adjumentum esse remotius et, ut ita dixerim, *negativum*. Posthac demonstrabimus eam philosophiam posse etiam in contrariam partem adhiberi, ut *per se* (i. e. ut ajunt, *positive* et *directe*) favere Mysticismo videatur. Quæ quidem si cui repugnantia esse videantur, is meminerit, simili prorsus ratione eam philosophiam ad Religionem divinitus patefactam ita adhibitam fuisse, ut de hac religione prorsus contrariæ exstiterint Kantianorum sententiæ. Cum

trina probandum, quod rationis ope cognosci ac perspici non posset, eam necessario vim habebat, ut religio a *sensu* et ab *animo* avocaretur atque ad unam rationem traduceretur. Quod quidem quantopere a Mysticismo abhorreret, res ipsa declarat, atque universe intelligi ex eo potest, quod in Prolegomenis docuimus, rationis ac sensûs eam esse necessitudinem, ut se invicem opprimant, utque alterius vis ac robur eo magis imminuatur ac debilitetur, quo magis alterius augeatur ac confirmetur. Hinc intelligitur, si omnis religio ad *rationem* revocetur, eam rem obesse debere *sensui*, in quo se jactat Mysticismus. Neque *sensus* tantum, sed *phantasia* etiam opprimebatur, quod est alterum Mysticismi regnum. Ratio enim ut sensum, sic etiam phantasiam reprimit, quippe cujus hoc proprium est, quod rationis terminis se contineri non patitur. Quæ igitur relicta erat phantasiæ materies? Sublata erant ea placita religionis, quæ ratio assequi non posset. Atqui hæc ipsa placita campum amplissimum aperiebant phantasiæ, quæ, ut diximus, ea ipsa potissimum sectatur, de quibus assequendis ratio desperat.

---

enim ejusdem philosophiæ placitis ducerentur, alii hæc placita ad Supranaturalismum, alii ad Rationalismum, tuendum adhibuerunt: conf. *Flugge*, *Versuch einer histor. krit. Darstell. des bisher. Einflus. der Kant. Phil.* cet. *Vol.* I. P. 55. sqq.

Quod si illis motibus hoc unum fuisset effectum, ut Mysticismus opprimeretur, haberemus, quod nobis gratularemur. Sed, vel me tacente, quisque intelligit, idem illud rationis imperium perniciosum etiam fuisse *religiositati*, sive religioni *subjectivae*. Hæc enim non minus, quam Mysticismus, in animo atque in sensu, sedem suam ac domicilium posuit, atque eam ipsam ob causam religionis ad unam rationem traductio, ejusdem est ab animo avocatio.

Itaque una eademque causa et *positivo* religionis argumento et *religiositati* interitum attulit. Plura poterant adjungi, sed non est necesse (*w*). Neque enim tam id agimus, ut historiam scribamus, quam potius ut intelligatur, iste, de quo locuti sumus, religionis status quomodo et potuerit et debuerit parere sive ipsum Mysticismum, sive quandam Mysticismi præparationem. Itaque, quod in hunc statum deducta est religio, ejus rei eam potissimum causam explicuimus, cujus intelligentia cum scriptionis nostræ argumento maxime conjuncta videretur.

Etenim nova ista sacrorum conditio quamquam multis placebat, alios tamen vehementissime offendebat. Neque vero fieri aliter poterat. Cum enim, nisi admodum leves simus, nihil soleamus religione

---

(*w*) Conf. *Allgem. deutsch. Biblioth. Tom.* LIII. *p.* 56. *sqq.* LXIII. *p.* 74. et scripta paulo ante laudata, *Not. o*, *p.* 40.

carius, nihil antiquius, nihil cum naturâ nostrâ conjunctius habere, quis tandem fieri potuisse putet, ut ista, de qua locuti sumus, labes omnium ac singulorum animos inficeret, nec quisquam a sæculi contagione integrum se illibatumque servaret? Sed neque illud probabile erat, eos, quibus nova ista doctrinæ forma displiceret, ad religionis causam tuendam, eandem omnes viam esse ingressuros. Permagna enim hominum ingeniorumque diversitas est, neque cum omnes eandem causam agunt, eodem modo agunt. Duplici ex parte spectari religio potest: est enim vel *theoretica* vel *practica*, i. e. vel *objectiva* vel *subjectiva*. Utraque pars laborabat, cum de *objectiva* sublata essent placita *positiva*, *subjectiva* autem rationis imperio ac philosophandi subtilitate, tamquam undis, obrueretur. Fieri aliter non poterat, quin aliis potissimum objectiva religio, aliis subjectiva tuenda et instauranda videretur, non quo, alterâ restitutâ, neglecta jaceret et inculta altera, sed quoniam ad utriusque restitutionem multum interesse videbatur, utra *prius* ab hominum contemtu vindicaretur. Hinc duplex natum est genus eorum, qui religionis patrocinium susciperent. Alii, religionis *theoreticae* contaminatâ sanctitate offensi, omnia ad eam vindicandam eruditionis subsidia adhibebant, non ita conclamatam esse rati ac desperatam antiquæ orthodoxiæ causam, quin optimis atque gravissimis argumentis eam tueri possent. Alios vero religionis *subjectivae*,

i. e. *religiositatis* infelix conditio magis movebat, atque ut ipsorum *sensus* religiosus vulneratus erat, sic religionis causæ ita se optime consulturos arbitrabantur, si suorum civium *sensum* potissimum moverent. Quod consilium ut caperent, apud haud paucos hæc quoque causa valuisse videtur, quod infitiari non poterant, multas antiquæ doctrinæ partes ita esse conquassatas ac divulsas, ut vix ac ne vix quidem, restitui posse viderentur. Et si ipsi quidem de earum instauratione non prorsus desperarent, tanta facta erat cunctæ disciplinæ theologicæ conversio, ut ad antiquam ejus formam revocandam aut novum argumentorum genus, aut nova argumentandi ratio excogitanda esset. Interea malum indies latius serpere, deterior fieri religionis conditio, periculi plena esse cunctatio. Huc etiam illud accedebat, quod, quamquam multi de omni religione nefarie sentiebant, eamque vitæ foeditate evertebant, ista tamen doctrinæ morumque perversitas prorsus aliena erat a consilio *Semleri* eorumque, qui ejus causam adjuverant, quippe quod consilium præcipue religionis *practicae* emolumentum spectaret. Itaque, quibus religionis causa curæ cordique erat, eorum haud pauci satius ducebant et ad præsentem rerum statum convenientius, si *religiositatis*, quam si religionis *objectivae*, causam agerent. Hanc enim si ad antiquum statum revocare vellent, in infinitas rixas se conjicere debebant; illius vero commenda-

tio eo plus valitura videbatur, quo certius probari et effici poterat, omnem illam disciplinæ theologicæ immutationem ab eo esse consilio profectam, ut *practica* religio et adjuvaretur et *theoreticae* anteponeretur; ab hoc autem consilio nihil magis alienum esse posse, quam istud animorum frigus, quo multi, subtiliter de religione disserentes, torperent.

Quid plura? Docet omnis historia, ita semper fieri solere, ut, jacente religiositate atque philosophiæ mole obrutâ, in multorum animis vehementius, quam solet, moveatur et irritetur *sensus*. Qui quidem sensus, ut ante diximus, aut *agit* aliquid ac foras et in publicum prodit, aut *intus se continet*, ac secum solus habitat. Et sensûs quidem *actio*, sive vehementior sit ac furori vicinior, sive mitior ac placidior, eo certe tendit, ut jacens ac prostrata religio in hominum animis erigatur ac prisco honori restituatur. Alia fuit in *Elia* vate atque in *Muhammede* sensûs vis et efficacitas, alia in *Waldo*, in *Wiclefo*, in *Luthero*, alia rursus in *Stillingio*; sed omnium sensum eadem causa excitavit, religionis neglectus: idem spectarunt, instaurationem religionis. Sed quoniam quisque sibi proximus est, et quoniam non omnium eadem est indoles, conditio, studium, facultas; fieri aliter non potest, quin alii suæ potius, quam alienæ saluti consulendum putent, nec tam curent, quomodo *alii* religioni reddantur, quam potius id agant, ut *ipsi* in

communi naufragio ne intereant. Tum oritur tranquillus ille ac quietus et pacis studiosus Mysticismus, qui nullos motus ciet, ignem ferrumque aversatur, hoc unum agit, ut, qui ipsum sequantur, eos ab hominum societate et consortione separet, atque in se ipsos convertat. Talis fuit, ne alios Mysticos memorem, ratio *Essaeorum*, qui cum practicam religionem et a Pharisæis et a Sadducæis prorsus negligi animadvertissent, novam eamque Mysticam sectam condiderunt (*x*).

(*x*) Vid. *Philo*, *Tom.* I. *p.* 457 sq. 632 sqq. ed. *Mangeji*, et *Joseph. Bell. Jud.* II. 12. Omnino Historia Eccl. hoc quemque docere potest, eam esse *rationis* ac *sensûs* vicissitudinem et reciprocationem, ut, si altera pars nimis se jactet atque utriusque veluti æquilibritas turbetur, tum altera quoque se movere atque dignitatem suam tueri soleat. Quis enim nescit, eandem ætatem, quæ Scholasticos tulerit, subtillissimos illos disputatores, tulisse etiam Mysticos, quasi sensûs adversus philosophiæ insolentiam vindices? Vid. *Schröckhii Hist. Eccl. Tom.* XXIX. *p.* 263 sqq. Quid recentiori ætate? *Methodus* illa *Scientifica*, cujus stator fuit *Wolfius*, quis tandem ignoret, qnam jejuna, quam exsanguis, quam frigida fuerit? Accedebat *Rationalismus:* ut Philosophi ac Theologi, tamquam conspiratione quadam, ex hominum animis evellere voluisse religionem videantur. Neque igitur quis facile miretur, hanc hodierni Mysticismi causam a multis viris doctis esse animadversam. Conf. *Vater*, *Ueber Mysticismus und Protestant*, *in Königsberg. Archiv*, 1812 *Part.* III. 377 sqq. 394 sq. *Lücke* in *Stäudlini et Tzschirneri Arch. Tom.* II. *Part.* I. *Schröckhii Hist. Eccl.* continuata a *Tzschirnero*, *Tom.* IX. *p.* 634 sqq.

Sed hæc hactenus. Hoc unum volebamus, quod et res ipsa docet et historia declarat, laborante et in pejus ruente religionis causa, in eorum animis, qui eam salvam esse cupiunt, sensum religiosum vehementius, quam alias, et tamquam vulnere recens inflicto, commoveri et excitari solere, ita ut ejus vim ac vigorem vividius, ut ita dicam, percipiant. Declaravimus etiam quodammodo, quomodo fieri debuerit, ut nostra ætate in defendenda religione *sensûs* auctoritas ab haud paucis magis, quam alias solebat, urgeretur et commendaretur. Subtiliter admodum antiqua religionis doctrina oppugnata fuerat, et adhuc oppugnabatur. Quem impetum cum unam rationem theoreticam sustinere posse homines diffiderent, et tamen religionis causam sanctiorem esse judicarent, quam ut eam, tamquam prædam aliquam, adversariis relinquerent, *rationis* damnum *sensu* resarcire voluerunt.

Quamquam autem ea, quam memoravimus, causa multum valebat ad hominum religiosorum sensum commovendum, tamen, nisi *alia* etiam *causa* accessisset, tanta commotio secutura fuisse non videtur. Scilicet universarum nationum ac singulorum hominum eadem est ratio. Etsi enim nulla vitæ pars est, nulla externarum rerum conditio, quin religio semper magni fiat ab iis, quorum animos semel occupaverit, incidere tamen tempora possunt, quibus saluberrimam religionis vim magis etiam, quam alias, sentiamus. Tem-

pora calamitosa dico, bonorum amissionem, luctum domesticum, orbitatem, exilia, quævis malorum genera, quibus cum conflictamur, fortunæ acerbitas, tamquam stimulus aliquis, excitare sensum religiosum, eique novas vires addere solet. Similiter cum temporum difficultate res publicæ affliguntur, universis gentibus carior fieri solet, quam alias, religio. Tum crebriores fiunt preces publicæ, tum in religionis contemtu ac morum perversitate ponunt homines causam malorum, tum sacrorum antistites clariori voce cives suos hortantur, ut ad meliorem frugem redeant. Quæ quam vere a nobis dicantur, et omnis omnium populorum historia docet, et præsens disputatio declarabit.

§ II.

Calamitosa rei publicae tempora.

HANC alteram pono causam universalem aut Mysticismi, aut animorum ad Mysticismum propensionis. Non Vos, Eruditissimi Viri, infandum jubetis renovare dolorem. Hæret, hæret in visceribus nostris atque semper hærebit illius temporis cogitatio, quo nullum tristius umquam, nullum calamitosius tempus fuit. Recens est memoria; vixdum ulcera cicatrices duxerunt. Sed in communi clade præcipuam quandam tyrannidis nefariæ partem in Germaniam conjecit impotens ille ac furiosus Dominator, cujus libido imperandi hoc terrarum orbe vix terminabatur. Sed quid attinet in re acerbissima horam consumere? Spissum commentarium scribere possemus, si vel unius *Arndtii* scripta expilare vellemus. Quid infinitam illam librorum multitudinem commemorem, quorum tituli ac relationes in singulis Germaniæ Diariis et Catalogis nundinariis reperiuntur, acerbissimis querelis plenorum, ut eorum scriptores iræ atque doloris certamen suscepisse videantur? Ad hos igitur scriptores delegamus istarum rerum studiosos; quamquam quis, vel nullo scriptore, ignoret?

Nos quidem minime veremur, ne quis rem a nobis exaggerari putet, si omnem cum Belgii tum Germaniæ præsertim calamitatem in *amissione libertatis civilis* ponamus. Cujus jacturæ quanta vis sit ad pariendum illum, de quo loquimur, mysticum sensum, paulo diligentius exponamus.

Unusquisque homo, eam ipsam ob causam, quod homo est, habet quoddam jus, ab ipsa natura ei tributum, quo libere utatur. Hoc jus externum quemadmodum mihi eripi nolo, ita ceteros quoque homines ejusdem juris tenaces esse, existimare me oportet. Hinc apparet, hominum societatem constare non posse, nisi lege quadam sanciatur, quomodo quisque libertate sua externa utatur, atque recte hoc juris fundamentum a *Kantio* esse positum, ut ita quisque extrinsecus agat, ut usus libertatis alteri ne officiat, quominus et hic libertate sua utatur. Sed est hæc libertas externa, et, ut omnia externa, vi externâ eripi potest. Quæ ereptio tum locum habet, cum quis, juris sui terminos migrans, in nostram ditionem invadit, et quod nostrum est, id sibi adsciscit. Ille igitur, ut nostram libertatem circumcidit, ita suam ipse libertatem auget et amplificat, sive potius spatium ac veluti theatrum libertatis suæ præter jus ac fas dilatat. Magis etiam si urget, nihil libertatis nobis relinquitur: ejicimur de naturali nostra ditione, atque, ut ita dicam, repellimur in nosmet ipsos, nobiscum agimus, consilia inimus, colloquimur; et

quamquam per aliquod tempus ab amissæ libertatis cogitatione mentem avocare non possumus, tamen, cum nullam ejus recuperandæ spem relinqui, nec dolore quicquam profici intelligimus, ipsa tandem desperatione cogimur omnem cogitationem in nosmet ipsos convertere, atque nobiscum solis versari. In hanc autem solitudinem cum semel sumus compulsi, ut cujusque indoles atque mores ferunt, ita doloris magnitudinem consolatur. Alii ad literas ac philosophiam se applicant (*y*), alii a religione doloris medicinam petunt. Omnium autem animis insidet atque infusus est tristis quidam sensus: omnes molestiâ, tamquam pondere aliquo, premuntur, et quamquam brevis interdum animi relaxatio esse potest, ad puram et constantem hilaritatem erigere se non possunt. Atqui si ipsa solitudo jam habet aliquam ad Mysticismum appropinquationem (*z*), quanto magis habeat necesse est, si accedat illa animi contractio, quam libertatis amissio affert. Sed operæ pretium esse videtur, paulo diligentius de omni hac causa scribere.

1. Ea est hominum natura, ut, quo plura iis adimantur, eo majoris facere soleant id, quod relinquatur. Parentes quidem, cum pari caritate

---

(*y*) Hæc erat *Ciceronis*, amissa libertate, consuetudo: vid. *Epp. ad Famil.* VII. 28, 33 cet.

(*z*) Quemadmodum docet *Zimmermannus* lib. cit.

omnes liberos suos complectantur, horum nonnullis morte sublatis, omnem amorem in superstites transfundere solent. Similis ea causa est, de qua disserimus. Inest aliquid in nobis, quod nullo casu, nulla calamitate, nulla tyrannorum vi ac furore auferri potest. Amissa libertate externa, *animi* libertas relinquitur atque incolumis est. Hanc in ceterarum rerum clade colimus, hanc amplexamur, hanc tuemur. Si enim, cum beati sumus, nec rebus externis affligimur, nihil animo melius est, nihil præstantius, quanti tandem illam divinæ particulam auræ faciamus necesse est, cum cetera bona omnia abstulerit fortuna! Quinetiam, ut mox videbimus, fortunæ atque conditionis externæ iniquitate sensus dignitatis nostræ atque præstantiæ acuitur atque augetur.

2. Sic igitur cum libertate externa nos orbatos, atque nosmet solos nobis relictos sentimus, primum munere suo fungi solet *facultas cogitandi.* Est autem in hoc negotio duplex veluti iter rationis: vel enim a publicæ calamitatis cogitatione mentem abducere et alio traducere conamur, vel in hac ipsa cogitatione mens infixa hæret. Et illa quidem mentis avocatio quam sit difficilis, quamque incredibilem animi firmitatem atque constantiam requirat, cum sua unumquemque conscientia docet, tum magna testatur paucitas eorum, qui in editum hunc et excelsum locum enixi, eo aut olim pervenerint aut adhuc perveniant, unde res caducas, ut sub-

ter se positas, despicere possint. Quemadmodum enim navis vortice intorquetur, sic temporum calamitas mentem, curam, cogitationem rapit ad sese. Quo fit, ut mens facilius atque prœnius alteram illam viam ingrediatur, atque in ruinis ac parietinis rei publicæ hæreat. Non quo delectemur, sed quia spectaculi nos trahit atrocitas. In patriæ autem ac libertatis interitu semel infixa cogitatione, quis tandem tranquillus esse possit? Non Græcorum Romanorumque res agitur, sed *nostra* libertas, *nostra* patria, quæ una omnes omnium caritates complectitur. Hac autem mentis conturbatione si ratio impeditur, magis etiam de statu suo eam dejicit tristium imaginum multitudo cum tristi cogitatione conjuncta. Quæ illæ imagines? Majorum amissa gloria, nostra labes, aliarum nationum irrisus, impotentis dominationis iniquitas, sors parentum, uxorum, liberorum, cognatorum, metus rerum futurarum, ipsa nostra vita non vitalis, infinita alia. Potestne mirum cuiquam videri, si plurimi, tot rerum adversarum atque tantarum multitudine obruti, earum *cogitationem* in *sensum* convertunt, moeroris plenum? Nam, quemadmodum ante diximus, tum *sentiendi* facultas affici ac moveri solet, cum facultas *cogitandi* nimia materiæ mole opprimitur, de qua digerenda desperet. Quæ materia si constet rebus acerbis, ad *nos* pertinentibus, tum tanto facilius omne hoc calamitatum pondus *sensus* excipit, quanto lon-

gius a *cogitandi* tranquillitate absumus. Et quamquam non omnes pariter tanta infortunia terrent, tamen quis aut tam longe ab amissæ libertatis cogitatione mentem sejungere, aut tam placido animo in hac cogitatione versari potest, qui non doloris *sensu* tamquam aculeo pungatur?

3. Sensus igitur, hac temporum acerbitate commotus, videamus, quomodo ad *religionem* se applicet. In hujus disputationis initio tubæ exemplo docuimus, cum mens aliquo modo afficiatur, simul subire imaginem illius rei, a qua afficiamur. Naturali quodam impetu animus ad causam affectionis se convertit, atque eo cupidius ac celerius se convertit, quo vehementior est affectio. Quod cum in lætis, tum in tristibus rebus intelligi potest. Quo enim majori nos beneficio affectos sentimus, eo altius sensum nostrum ac mentem intrat illius, qui contulit, imago. Similiter injuriæ calamitatisque gravitas vehementissime animum ad causæ cogitationem convertit. Quæ autem calamitas libertatis amissione gravior esse potest? Cujus jacturæ tristissimus sensus cum in mentibus nostris necessario excitet imaginem causæ, quæ tantum damnum dederit, alii quidem ultra *secundariam* causam non progrediuntur, alii ad *primariam* se efferunt; sive, ut rectius dicam, omnes utramque causam mente et cogitatione conjungunt, sed in alio animo hujus, in alio illius causæ, imago prævalet ac vividior est. Et *secundaria* quidem

causa — sic enim *hominum* injuriam appello — tum magis, quam *primaria*, i. e. *divina* Providentia, animo obversari solet, cum aliqua spes ostenditur, nos *nostris viribus* injuriam propulsare posse. Quo minus enim (sit venia verbis) divino auxilio nos indigere arbitramur, quoque magis viribus nostris confidimus, eo rarius mentem subit Dei cogitatio. Contra, cum humano consilio atque viribus humanis nil effici posse videtur, cum prorsus conclamata est ac desperata salus, tum omnium bonorum animi, ut in portum aliquem, sic in coelum confugiunt, atque Vim illam divinam, omnium rerum gubernatricem, complectuntur. Est enim hoc in natura nostra positum, ut in maximarum rerum amissione quæramus aliquid, quod nobis relinquatur, quod tantam jacturam compensare possit, quod rebus caducis superius sit. Et quemadmodum secundariæ causæ cogitatio bilem movet, sic primariæ, a qua nil nisi quod bonum, rectum, nobisque utile sit, exspectari potest, tranquillitatem affert.

4. Jam si quis recordetur, quod supra diximus, Mystico propositam esse *conjunctionem cum Deo*, cuique perspicuum esse arbitror, ab illa, de qua adhuc locuti sumus, religiosi sensûs commotione quam expedita sit ad Mysticismum progressio. Homo enim, ut ipse animo et corpore constat, ita inter mundum intelligibilem et hunc, qui in sensus cadit, interpositus est. In utramque partem

veluti trahitur, et nunc animus huc, nunc dividitur illuc. Unde intelligitur, alterius partis vim impedimento esse, quominus ad alteram partem fiat accessio; illa autem vi sublata, tum fieri ad alteram partem appropinquationem. Hoc in libertatis amissionem transferamus. Si per hanc jacturam sensus religiosus semel est commotus, fieri aliter non potest, quin existat quædam animi ad Mysticismum, id est, ad arctiorem quandam cum Deo conjunctionem, inclinatio. Primum enim unumquemque, qui non prorsus abjectus ac perditus sit, illud esse concessurum arbitror, naturæ nostræ præstantiam tum præsertim persentisci a nobis solere, cum naturæ nostræ jus ac dignitas conculcetur (*a*). Amissa libertate, non solum damni magnitudine, sed etiam ignominiâ nostrâ, dolemus. Hoc stomachum movet, quod, cum humanâ naturâ nihil sit excellentius, hujus præstantiæ nulla ratio habeatur. Ego, dum hæc scribo, nullius mihi culpæ conscius sum, qua in carcerem conjici merear. Sed dormit quasi hæc innocentiæ conscientia, nec me magnopere movet. Tum autem vehementissime moveret, si quis manus injiceret, et me insontem abduceret in vincula. Similiter libertatis civilis amissio eo valet, ut homo, qui quidem non prorsus sit servilis indolis, acrius etiam, quam alias, naturæ

(*a*) Vid. Liber, *Die neue Kirche*, *p.* 15 sqq.

suæ præstantiam intueatur, et ita libertate digniorem se sentiat, ut injuriosius eâ orbetur. Hæc autem naturæ nostræ excellentia, cujus sensus hominum injuriâ movetur, augetur, acuitur, quid tandem aliud est, quam illa cum divinâ naturâ affinitas et cognatio, qua brutis animantibus præstamus? In hujus igitur affinitatis sensum, gravi commotum injuriâ, cum mens abdit se et immergit, et prorsus se ei dedit, et diu in eo versatur; quis non intelligit hinc existere debere singularem quandam et arctiorem, quam alias, ad Deum et ad res divinas animi applicationem, quæ ut ipsa jam est aliqua ad Mysticismum accessio, ita cum vehementiori φαντασίᾳ juncta, quæ omnium quodammodo hominum propria est, ut partum aliquem, sic Mysticismum, edit? Deinde, perdita libertate, non tantum, ut diximus, hominum injuria, sed ipsius jacturæ magnitudo ad intelligibilium, id est, divinarum rerum complexum nos impellit. Si enim, qui quidem aliquo religionis sensu imbutus sit, is quantum ab hujus vitæ rebus mentem abducit, tantum ad res divinas traducit, tum autem abducere solet, cum ea, quæ nos *bona* appellamus, aut omnino, aut maximam partem, desinunt esse bona, nec amplius delectant; quis tandem miretur, si, ut pisces, in nassam inclusi, escam, sic homines, libertate privati, terrestria omnia fastidiant ac spernant. Idne bonum est, quo uti non

possis libere? Aut si possis, tune in communi clade præcipuam tibi fortunam postules? In omnium mœrore tu solus luctum non suscipias? Quod si, ut historia omnium nationum docet, amissa libertate, tantus ingenia torpor hebetare solet, ut artium ac doctrinarum vix umbra aliqua relinqui videatur, quasi vero e communi naufragio ne animi quidem bona servare, operæ pretium sit, quo tandem loco justus rerum arbiter ea bona habebit, quæ, fortunæ levitati subjecta, nec ullam constantiam habeant, nec, sublata libertate, liberam sui copiam faciant, nec, si quidem faciant, in rebus adversis satis idoneum perfugium atque solatium præbeant? Denique, sublata libertate, solvitur commune societatis vinculum. Quo arctioribus cancellis uniuscujusque libertas circumscribitur, eo longius homines a se invicem sejunguntur. Est enim suspiciosa tyrannis, et hominum congressus aut prorsus impedit, aut ipsa iis interesse, eosque moderari cupit. Multa in libera civitate geruntur, quæ in ergastulo geri non possunt. Interposita enim inter cives atque cives tyrannide, quæ postest esse libera hominum necessitudo, quod commercium, quæ societas, quæ conjunctio? Hæc autem si libera non sunt, nihili sunt, nec, qui in nulla civitate vivit, multo deterioris est conditionis, quam qui in hoc civitatis simulacro. Quid enim interest, solusne in

insula degam, an alius etiam degat, quicum nulla mihi sit conjunctio? Aut quid nunc efficere possum, quod, si solus essem ejectus, efficere non possem? Quorsum hæc? ut intelligatur, libertatis amissio quantum valeat ad excitandum religionis sensum, qui si principatum obtinet, existit Mysticismus. Duo sunt potissimum, quæ illum sensum, quo minus exsultet nimis et luxurietur, cohibere possunt, *ratio* et *externa*, in qua versamur, *conditio*. Et ratio quidem, quantopere in omnium rerum perturbatione frangatur, supra explicuimus. Hac igitur de statu dejecta, relinquitur *externa conditio*, quam intelligimus locum, quem in civitate quisque obtineat, dignitatem, munus, artem, quam profiteatur, vitæ tolerandæ subsidia: quibus rebus hominum inter ipsos societas ac necessitudo constituitur. In hac autem externa vitæ ratione quanta vis insit ad moderandum ac temperandum religiosum sensum, ne erumpat vehementius, in vulgaribus præsertim hominibus intelligi potest. Quorum animis cum ita sæpe ille sensus altissime insculptus sit, ut minime rationem adhibere solent, eorum plurimi in Mysticismum procul dubio præcipites ruerent, nisi vitæ sustentendæ cura, negotia, occupationes illum animi impetum reprimerent. Quod cum ratio docet, tum usus confirmat. Homines sedentarios, eosdemque plebejos, sartores, sutores, magis quam alios, ad Mysticismum esse prochives animadver-

tas (*b*). Cujus rei causa in eo posita est, quod illi homines magis, quam alii, a vita negotiosa disjuncti, atque in cellulas suas ac tabernas conclusi, in solitudine fere degunt, sublata de vitâ rerum varietate, quæ apud istiusmodi homines in refrenando sensu religioso rationis vicaria esse solet. Idem in ceteros hominum ordines transferri potest. Amissa libertate, incredibile dictu est, quot hominum necessitudines conturbentur, quot consilia irrita fiant, quot negotia impediantur, quot pacis artes tabescant. Nolo hæc persequi; recens est memoria. Difficilis erat hominum ad homines accessio; fel suspicionis inspersum familiaritatibus; pellebamur de plateis, atque præclare nobiscum agi existimabamus, si domi esse liceret. Præterea libertatis amissio egestatem afferebat. Omnia nostra in unius erant potestate posita; incidebatur mercaturæ nervus; tollebantur vitæ subsidia. Quo fiebat, ut non tantum judicio ac voluntate, sed etiam inviti et coacti, de sumtuosis hominum circulis nos subduceremus. Itaque sartores fiebamus atque sutores.

Sed esto! fuerit aliqua, in omnium rerum desperatione, hominum inter ipsos societas? Quæ tandem illa? Servorum, per Deum immortalem!

(*b*) Vid. *A. S. Bürger*, Disput. *de Sutoribus fanaticis.* Lips. 1780.

servorum erat ista conjunctio, eâdem catenâ colligatorum, eundem casum dolentium. Pedem ut domo extuleras, excipiebant te querelæ, quibus repellebare: ut difficile dictu sit, plusne ista societas, an solitudo, moestitiæ afferret. Illud certe intelligi arbitror, eam fuisse hujus societatis rationem, ut ad subtristem illum animi sensum, qui Mysticismi proprius esse solet, excitandum et alendum, quam abstergendum ac reprimendum, aptior videretur.

Sed satis esse declaratum arbitror, calamitosa rerum publicarum tempora quantum valeant cum ad liberam *rationis* ingeniique agitationem impediendam, tum ad religionis *sensum* excitandum et adjuvandum, ut facile prævaleat, præsertim accedentibus aliarum causarum momentis. Plures enim conjunctim exstare causæ solent, quibus ad maturitatem Mysticismus perducatur: quæ causæ cum in patria nostra nondum exstent, intelligi potest, quare, cum idem servile jugum utramque nationem oppresserit, tamen sensus ille obscurus, quem multi in Germania sequuntur, nostrorum hominum animos nondum occupaverit. Quod cum dico, loquor de Mysticismo *Eruditorum*, qui hanc rationem scriptis suis patefaciant et ad doctrinæ formam componant. Nam in multorum populârium nostrorum animis non minus quam in Germanorum, sensum religiosum publica illa calamitate vehementissime esse commotum, et ipsi sæpe

animadvertimus, et norunt omnes, quibus aliqua est cum hominibus et cum vitæ communis rebus conjunctio. Istiusmodi enim rerum conturbationibus quantopere hominum animi ad religionem compellantur, vel Gallorum exemplo declarari potest, quorum multis cum ante hos triginta annos nemo sapere videretur, qui *Voltarii* aliorumque Deistarum scriptis quicquam anteponeret, iidem nunc, ærumnis atque laboribus confecti, in *Chateaubriandi* libris acquiescunt.

Exposuimus, quantum valeat cum infelix religionis conditio, tum rei publicæ calamitas ad movendum excitandumque illum sensum, cujus principatus *Mysticismus* appellatur. Et si hæ causæ singulatim tantum valent, quid conjunctim? Quamquam enim dubitari non potest, quin universalis quidam religionis contemtus in multorum animis sensum religiosum commoturus fuisset, tamen si fausta potius, quam infausta tempora incidissent, omnino verendum fuisset, ne bona fortuna et felix rerum conditio illius sensûs aut motum obrutura, aut certe vocem compressura fuisset. Quod non tantum Galliæ, quam paulo ante memoravi, verum etiam ipsius Germaniæ exemplum declarat. Cum enim inde a medio sæculo superiori religionis causa in pejus ruere cœpisset, primum nulla apparebat animorum ad Mysticismum inclinatio. Scilicet nondum ingruerat publica illa calamitas, nondum erat oppressa libertas. Sive oppugnare-

tur religio, sive defenderetur, utrumque *rationis* argumentatione fiebat. Non quo hi, qui religionis patrocinium suscipiebant, *sensu* non stimularentur, sed quoniam homines, quamdiu temporum calamitas eos non suapte sponte impulerat, ut *sensu* pugnarent, tamdiu satius ducebant paribus armis, i. e. rationibus et argumentis theoreticis, adversariorum impetum repellere, atque *veritatem* potius, quam *religiositatem* scriptis ac sermonibus tueri. Itaque homines aut religionis causam *rationibus* et eruditionis apparatu defendebant, aut fere in adversariorum castra se conferebant. Quid postea? Clades illa publica effecit, ut sensus, religionis ruinâ jam commotus, magis palam se efferret et vocem attolleret. Itaque ad duo illa hominum genera accessit tertium eorum, apud quos earum, quas explicuimus, causarum conjuncta vis tantum valuit, ut sensui potius, quam rationi, principatum deferrent.

Sed ea utriusque causæ conjunctio quantum habuerit ad Mysticismum momentum, alia etiam ex parte spectandum est. Vos enim, Viri Eruditissimi, cum sciscitabamini causam, quare multi nostra ætate philosophi ac theologi ad Mysticismum se applicarent, non tantum hoc quærebatis, quare ipsi illi *Mystice sentirent;* id quod a nobis jam quodammodo declaratum est: sed illud quoque rogabatis, *quare mysticum illum sensum publice etiam profiterentur?* quare scriptis ac sermonibus præ se ferrent,

firmius in *sensu*, quam in ratione positum esse præsidium religionis? Neque enim illud discrimen nihili est inter *animi persuasionem* et *apertam professionem*. Quibus argumentis illa nititur persuasio, possunt ea ejusmodi esse, ut ipse scias, ea, si palam profiteare, apud alios nihil esse valitura. Ego si in una sensûs auctoritate acquiescam, tamen aut ineptus aut iniquus sim, si aliis sensûs magis prædicatione, quam rationis argumentatione meam sententiam probare velim. Quæritur ergo professionis apertæ causa, neque ea longius arcessenda est.

Populus non tantum æque ac politiores et honoratiores homines, verum etiam vehementius, calamitosis rei publicæ temporibus ad amplectendam religionem commoveri solet. Causæ calamitatum quæruntur. Doctiores, quique acutius sibi cernere videntur, quamquam divinæ moderationis vim agnoscant, tamen in causis proximis fere hærent. Populus autem, prorsus ut Homerici heroes, continuo ad Deum immortalem mentem cogitationemque effert, et non tam in perversa rerum publicarum administratione, non in dominandi cupidine, non in potentiorum avaritia, perfidia, simultate, causam malorum ponunt, quam potius in *universæ nationis vitiositate*, qua *Numinis ira* commoveri soleat. Hoc esse vulgare querendi argumentum, etiam tum, cum nulla insignis apparcat aut præcipua alicujus nationis ad peccandum

proclivitas, nemo vel nostrorum civium ignoret, qui paululum in præteriti temporis memoriam redierit. Quid ergo in Germania? Poteratne aliter fieri, quin magna populi pars eam sententiam susciperet, omnem illam, qua ea regio opprimeretur, malorum molem sublatæ religiositati morumque perversitati tribui debere? Neque vero, si divinæ providentiæ nutu ac voluntate res humanas geri credimus, inepta videri illa sententia potest.

Quorsum hæc? ut intelligatur, cur multi sensu potius, quam rationibus ac doctis disputationibus religionis causam agendam esse, existimaverint et adhuc existiment. Religionis neglectus videbatur causa malorum; quid igitur aliud, quam religionis instauratio his malis mederi poterat? Sed ut publica erat religionis ruina, sic publica opus erat ejusdem restitutione. Piæ animi cogitationes non intus erant comprimendæ, sed palam atque cultu Dei publico aperiundæ. Sic enim religionis instauratio censeri solet, cum non de singulis hominibus, sed de universis nationibus sermo est. Doctorum hominum longa erat et anceps dimicatio, nec ab eorum disputationibus religionis salus sperari posse videbatur. Interea magna nationis pars ita erat animata, ut nil nisi externâ quadam impulsione et auctoritate opus esse videretur, quo ille sensus religiosus, gravi excitatus temporum injuria, palam se proderet et tamquam in flammam erumperet. Quid igitur mirum, si

multi theologi ac philosophi ita religionem optime restitui posse, arbitrati sunt et adhuc arbitrantur, ut eam disserendi scribendique rationem adhiberent, quam legentibus plurimis audientibusque gratam fore, ac sua sponte in illorum animos illapsuram esse, scirent, quippe prorsus aptam illam et accommodatam ad excitandum ac veluti foras eliciendum illum sensum, qui jam prius in hominum animis commotus esset, et se patefacere gestiret?

Jam possunt eæ, quas explicuimus, Mysticismi causæ bifariam spectari, pro duplici, quod supra constituimus, ejus genere, *populari* ac *philosopho*. Multum autem interest, illæ causæ utrum ad hoc an ad illud genus referantur. Et de philosopho quidem genere, quod inprimis hac scriptione tractari debet, postea dicemus. *Populare* autem Mysticismi genus ita ab illis causis profectum est, ut hæ *solæ* ad illum pariundum sufficerint; cum contra ad alterum illud genus efficiendum ad eas causas accesserit certa quædam ac definita philosophandi ratio, qua cum illis causis conjunctâ, certa quædam exstitit ac definita Mysticismi forma. Et populare quidem illud genus

quamquam proprie in hanc scriptionem non cadit, tamen ut intelligatur, quanta sit talibus, qualia nos et viximus et vivimus, temporibus hominum ad Mysticismum et ad Fanatismum proclivitas, unum alterumve ejus rei exemplum apponamus.

Hic igitur commemorandi nobis sunt Separatistæ et Pietistæ Wurtebergenses, qui quamquam non nostra demum ætate orti sunt, sed dudum ante exstiterunt, tamen quod recentiori tempore nondum a mystico furore desciverunt, tribuendum id imprimis religionis in Germania contemtui videtur. Quod intelligi potest cum ex infenso eorum in Clericos animo, quorum levitatem ac protervitatem aversabantur, tum ex scripto, mysticis somniis referto, *Friderici*, sacrorum Antistitis in pago *Winzerhausen* (*c*): quo libro ad Mysticismi ac Fanatismi commendationem mirifice abusa est *Maria Theophila Kummerin*, ut etiam bonum aliquem Verbi Divini Ministrum in pago *Meinsheim* ad adulterium pellexerit (*d*). Minus huc pertinet causa my-

---

(*c*) *Glaubens-und Hoffnungsblick des Volkes Gottes in der antichristischen Zeit, aus den göttlichen Weissagungen gezogen von Irenæus U—s. Im Jahr Christi* 1800, *gewitmet allen denen, die auf das Reich Gottes warten.* Vid. *Tzschirner* in *continuat. H. E. Schröckh. Tom.* IX. *p.* 658.

(*d*) *Actenmässige Gesch. einer Wurtenb. neuen Prophetin und ihres ersten Zeugen, herausgeg. von H. P. K. Henke*, Hamb. 1808.

stici hominis *Hans Nielson Hauge*, quippe qui non in Germania, sed in Norvagia, fanaticam sectam recentiori tempore condiderit. Commemoramus tamen propterea, quod hujus viri exemplum rursus confirmat, quod supra monuimus, consilium et apicem Mysticismi esse *conjunctionem cum Deo*. Hanc enim conjunctionem et Jesu familiaritatem ille jactat (*e*).

Sed quantopere multis nostra ætate hominibus, tam doctis, quam indoctis, Mysticismi causa placeat, nulla res magis declarat, quam *Societates Tractatuum*, quarum eo consilium spectat, ut libellorum, qui *Tractatus* appellantur, ad pietatem compositorum editione religionis causa adjuvetur. Est hujus instituti eadem fere origo et ratio, quæ *Societatum Biblicarum*, quarum consilium satis cognitum est. Existimabant nimirum viri pii ac probi ad religionis Christianæ commendationem admodum utile fore, si Sacris Literis, quarum divulgandarum curam Societates Biblicæ suscepissent, adjungerentur istiusmodi libelli, simplici sermone scripti, et unice ad virtutis Christianæ exercitationem accommodati. Præcipua Societas Basileæ est, ubi ea causa tanto cum studio agitur, ut uno anno 1814. istiusmodi libellorum exemplaria 34000.

(*e*) Vid. *Tzschirner* l. c. *p.* 640.

edita sint (*f*). Et nos quidem minime ii sumus, qui instituti consilium vituperemus (*g*): illud autem verissime dicimus, plerorumque horum libellorum argumentum prorsus esse ad Mysticismi commendationem compositum (*h*). Quod, quam-

---

(*f*) Vid. *Beylage zum* 2.ten *Stück des christl. Sonntagblatts*, 5.ter *Jahrg. Dritte Anzeige von der Comité der Traktatengesellschaft von Basel*, *den* 2 *Jan.* 1816.

(*g*) Nuper vehementissime in illam Societatem invectus est *Schultesz*, Prof. Tigurinus, in libello: *Das Unchristliche und Vernunftwidrige*, *geistlich und sittlich Ungesunde mehrerer Büchlein cet.* Societatis patrocinium suscepit *I. C. Kaufmann: Einfältige Bemerkungen eines Ungelehrten über Herrn I. Schulteszen*, *Professors*, *neueste Schrift* cet. Winterthur, 1816. Cui rursus opposuit *Schultesz* scriptionem: *Ernstes und reifes Bedenken der einfältigen Bemerkungen des Herrn. I. C. Kaufmann*, *Kurschner zu Winterthur.* Zurich 1816.

(*h*) Apponam nonnullos horum librorum titulos. *Der kleine Kempis — Das Herz des Menschen*, *ein Tempel Gottes oder eine Werkstatte des Satans — Leben der Frau Langerfeld — Anna Sundberg — Der kleine Gottlieb*, *ein Beispiel für Kinder — Schwester Martha — Der brave Soldat*, *oder Peter Lohbeks Lebensgeschichte.* — Ceterum vix opus est, ut moneam, perinde esse, utrum isti libelli jam antea sive germanico sive alio sermone scripti, exstiterint, an vero ab ipsis *Sociis* confecti sint. Probat enim utrumque genus id, quod volumus, multis nostra ætate placere Mysticismum. Ut enim hoc utar, libellus, quem primo loco memoravi, *der kleine Kempis*, jam dudum exstiterat, quippe conscriptus a famoso Mystico *Tersteegen*, sed *Societatis* operâ illa scriptio notior est facta hominibus ac novam veluti vitam accepit.

quam ab hominibus intelligentioribus jam dudum agnitum est, tamen, ne temere dixisse videar, infra apponam quædam istius Mysticismi documenta (*i*).

Eadem est ratio illorum libellorum, quos ex Anglicano sermone Societas germanice vertit, quorumque insignis copia est.

(*i*) Satis sit laudasse libellos *Herenaei Haid*, *Doct. et Prof.*, cujus studio ac labore *Societatis* opuscula mirifice aucta sunt. Iste igitur *Herenæus Haid*, *Doct. et Prof.* quantopere Mysticismo faveat, perspicue ostendit auctor libri: *Die Zeichen der gegenwärtigen Zeit*, *oder Aufschlüsse über den neuen Mysticismus*, Deutschland 1815. *p.* 1. sqq. collato libello: *Geschichtliches über Bibel-und Traktatengesellschafften und ihren Mysticismus*, St. Gallen und Zurich 1816. *p.* 37 sqq. Auctor libri, quem posteriori loco memoravi, multa affert Mysticismi *Haidiani* specimina. Huc primum pertinet scriptio *Haidii*, *Das Licht des Euangeliums I. C. in und durch Gallus*, *den Apostel der Schweiz*, *samt einer heiligen Reliquie desselben; nämlich einer Apostolischen Rede*, *welche der heilige Gallus selbst verfasst und gehalten hat*, St. Gallen 1814. In quo libro, dicato *Immortali Majestati Triunius Dei*, Auctor adeo ineptit, ut aliquo loco contendat: *das in Asien und Aegypten*, *in Griechenland und Rom*, *Sanct Gallus*, *vor der Erscheinung Jesu Christi*, *als ein Gott angebetet worden wäre*, *welcher von dem Himmel auf die Erde gestiegen*, *und aus Nichts Etwas erschaffen habe.* Conf. *Geschichtliches* cet. *p.* 39 sqq. Majorem etiam in modum quisquiliæ mysticæ expromuntur in libello: *Goldkörner*, *den Frommen im Lande geweiht*, *von Doctor Haid dem Herausgeber*, St. Gallen 1815. Constat scriptio versiculis mancis, ineptis, ridiculis, non ipsius *Haidii*, Doct. et Prof.,

Sed satis de Mysticismo *populari*. Veniamus ad alterum genus, quod *Philosophorum* ac *Theologorum* proprium est.

---

sed *Angeli Silesii*, ab *Haidio* autem collectis et editis. Ecce nonnulla artis pœticæ miracula.

Pag. 7. *Gottes Tempel und Altar.*

Gott opfert sich ihm selbst: ich bin in jedem Nu!
Sein Tempel, sein Altar, sein Betstuhl, wenn ich ruh.

Pag. 12. *Mann muss sich Gewalt anthun.*

Wer sich nicht drängt zu seyn des Höchsten liebes Kind,
Der bleibet in dem Stall, wo Vieh und Knechte sind.

Pag. 19. *Das geistliche Goldmachen.*

Ich selbst bin das Metall, der Geist ist Feu'r und Heerd,
Messias die Tinctur, die Leib und Seel verklärt.

Pag. 21. *Es mangelt nur an Dir.*

Ach, könnte nur dein Herz zu einer Krippe werden;
Gott würde noch einmal ein Kind auf Erde werden.

Pag. 27. *Das Wörtlein: » aus und ein.*"

Zwey Wörtlein lieb ich sehr; sie heissen *aus* und *ein*;
Aus Babel, und *aus* mir; in Gott und Jesum *ein*.

Plura congessit auctor libri laud. *Geschichtliches* cet. *p.* 43. sq. Istis *Haidii* oraculis, ne alios libellos memorem, unam adjungamus scriptionem, a Societate Basileënsi germanice versam: *Thomas Wilkoks Honigtropfen aus dem Felsen Christo; oder ein Wort der Ermahnung an alle Heilige und*

Sünder. Qui liber cujus generis sit, Inscriptio satis declarat. Vid. *Geschichtliches* cet. *p.* 49 sqq. Sed hæc hactenus; nolumus enim de *Gügleri* aliorumque scriptis separatim dicere: vid. *Die Zeichen der gegenw. Zeit*, *p.* 17 sq. Ceterum cum hunc Mysticismum *popularem* appellamus, non continuo negamus aliquam etiam ejus partem recentiori philosophandi rationi tribuendam esse: *Haidium* certe et *Güglerum Schellingio* addictos esse, constat: sed hoc dicimus, in horum Mysticorum doctrina nihil artis apparere, nihil, ut ita dixerim, coloris *Schellingiani.* Quod vel ex eo intelligi potest, quod, ut vidimus, antiquiorum Mysticorum scripta a recentioribus his laudantur et commendantur. Omnino difficile est accurate docere, ad hunc *Haidii* similiumque Mysticismum gignendum quantum philosophia, quantumve universales illæ, quas explicuimus, causæ contulerint. Sed etiamsi omnis ille *Haidianus* Mysticismus unice a *Schellingiana* philosophia esset profectus, nihil tamen causæ erat, cur *Haidii* scripta hoc loco prætermitteremus, ubi probare volebamus, quantam vim habuerint universales illæ causæ ad hominum animos μυστικῶς afficiendos. Sit enim *Haidius Schellingii* sectator; num societatem illam Basileënsem, cujus autoritate *Haidianæ* ineptiæ commendantur, etiam totam *Schellingianam* esse putabimus? Quod si minime credibile est: et mihi quidem persuasum est non ita esse: omittamus *Haidium*, ejusque in locum ipsam illam Societatem substituamus, tamquam argumentum et exemplum popularis Mysticismi, i. e. ejus, qui non tam ex singulari aliqua philosophiæ formula, sed potius ex iis causis natus sit, ex quibus plerumque Mysticismus nasci solet.

SECTIO ALTERA.

CAUSÆ MYSTICISMI SINGULARES, PHILOSOPHORUM AC THEOLOGORUM PROPRIÆ.

De quo Mysticismo superiori Sectione diximus, indefinito ille sensu, tamquam fundamento, nititur, nec a certa quadam disciplinæ forma ductus est. Ejus autem Mysticismi, de quo nunc nobis agendum erit, alia est ratio. Posita ejus causa est in peculiari recentissimæ philosophiæ forma ac ratione, quæ ejusmodi est, ut in eorum animis, qui hanc philosophandi rationem sequuntur, necessario genitura fuisset Mysticismum, etiamsi universales illæ causæ, de quibus ante exposuimus, non exstitissent. Si igitur quæritur, unde sit nostra ætate tanta Philosophorum ac Theologorum in Mysticismum propensio, breviter ita responderi potest, ipsam recentiorem philosophandi rationem per se mysticam esse, atque homines tamquam manu ad Mysticismum ducere.

Itaque hoc nobis necessario agendum erit, ut, quæ sit hujus philosophiæ cum Mysticismo conjunctio, declaremus. Nec tamen, si nihil quicquam præterea agam, exspectationi vestræ, Viri

eruditissimi, satisfacturus esse videar. Rursus enim quæri possit, quæ sit hujus philosophiæ causa? id est, quâ viâ et quo quasi cursu philosophia in hunc, in quo nunc versetur, statum adducta sit? Quamobrem non præter rem fore arbitramur, si causam paulo altius repetierimus.

Quamquam igitur ea philosophandi ratio, quæ auctorem habet *T. G. I. Schellingium*, proprie ac præcipue dicenda est mater et altrix Mysticismi, qui hac ætate multis philosophis placet, tamen, antequam de hac ratione dicamus, exponendum esse videtur, quæ sit doctrinæ *Schellingianæ* cum proxime superiori philosophiæ formâ conjunctio. Erit autem hæc expositio ita ad præsentem scriptionem accommodanda, ut non quidem accuratam recentioris philosophiæ singularumque ejus partium historiam et explicationem lectoribus impertiamur: quod in hujus disputationis brevitatem nec cadat, nec postulari a nobis queat: sed ut intelligatur, ea philosophia, quæ *Schellingii* doctrinam proxime antecesserit, ecqua continuerit Mysticismi semina, postea a *Schellingio* veluti elicita et ad maturitatem perducta. Quod non ita interpretandum, quasi inter superiorem illam philosophandi rationem et hanc *Schellingianam* nihil intersit, nisi quod hæc tantum perfecerit, quod illa inchoatum reliquisset: sed hoc volumus, quamquam utriusque rationis magnum discrimen sit, tamen superioris, i. e. *Kantianæ* et *Fichtianæ* philosophiæ hanc fuisse

indolem, ut, cum *Schellingii* doctrina prodiret, hominum animi quodammodo præparati essent ad suscipiendum mysticum illum sensum, quem recentissima hac philosophia iis, qui ipsam amplectuntur, instillat. Eo magis autem necesse est, ut de superiori illa philosophia dicamus, quod hæc etiam, imprimis *Kantiana*, nonnullos aut habuit aut adhuc habet sectatores, qui Mysticismum sequerentur, non aliunde, quam ab ipsa illa, quam probabant, philosophia haustum atque petitum, e quibus unum *Stillingium* nominasse sufficiat. Quod autem de *Kantio* potissimum, *Fichtio* ac *Schellingio* dicemus, ita faciemus, quod nostra ætate hi triumviri præsertim censendi sunt novas sectas condidisse. Fuerunt præter eos atque sunt præclari viri, summis ingeniis præditi, atque de philosophia optime meriti, sed non tam novæ doctrinæ auctores, quam potius ejus, quæ a tribus illis, quos memoravimus, philosophis prodita est, censores, interpretes, emendatores. Nos igitur de tribus illis singillatim dicamus.

§ I.

De Philosophiæ Kantianæ cum Mysticismo conjunctione.

Et præter rem faciam, Viri eruditissimi, et hujus scriptionis terminos migrem, si hoc loco aut universum Philosophiæ Kantianæ argumentum explicem, aut quibus causis nitatur, doceam, aut etiam ejus censuram agam. Quæ res etiamsi ab hac disputatione non tam aliena esset, quam est, tamen supervacaneus labor esset, cum ad Vos præsertim scribam, qui et ejus, de qua loquimur, doctrinæ rationem egregie tenetis, et vestram de ea sententiam habetis, quam sequamini. Itaque scriptionis nostræ consilio satisfacturi esse videmur, si et *quid Kantius* effecerit sive efficere voluerit (resultata), non, *qua viâ, quibusque argumentis* effecerit, explicuerimus, nec de universo hujus doctrinæ argumento, sed de illis tantum ejus partibus dixerimus, quæ ad causam præsentem pertinere videbuntur.

Cum *Lockius*, profligatâ sententia de *Ideis innatis*, omnem cognitionem humanam *partim* ab impulsione experientiæ, *partim* ab animi meditatione, i. e. *reflexione*, repetiisset, atque notio-

nes, quæ utriusque rei conjunctione parerentur, dixisset *exemplaria* rerum, his perfecte respondentia; illam sententiam ita oppugnavit *Davides Humius*, ut illas notiones non diceret exemplaria *ipsarum rerum* esse, sed exemplaria *impulsionum* (indrukken) *sensibilitatis:* omnem cogitationis humanæ materiam et argumentum a sensibilitate proficisci; nullam esse cogitationis partem, nullam notionem, quæ non revocari queat ad aliquam sensibilitatis impulsionem, quam aliquando susceperimus; omne autem rationis et intellectûs munus in eo esse positum, quod, quæ ipsi materia a sensibilitate tradita sit, eam formet et elaboret: itaque nos *rerum impulsiones* sentire, res, uti *per se sint*, non cognoscere, neque nullam esse causam, cur nostras notiones ipsi rerum naturæ consentaneas esse iisque respondere, arbitremur. Sceptica ista philosophandi ratio quo tenderet, non est difficile intellectu. Metaphysicas notiones, exempli gratia, *causæ et effecti*, quarum veritatem homines se *a priori* docere posse existimabant, eas igitur notiones *Humius* ita aggrediebatur, ut eas de illustri dignitatis loco dejiceret, atque unâ experientiæ sensibilitatisque auctoritate, infirmâ illâ atque fallaci, niti contenderet. Et si omnes animi notiones a sensibilitatis commotione proficiscantur, ipsarum rerum nullam cognitionem habeamus, quis non intelligit, ex *Humii* sententia prorsus conclamatam esse earum rerum cognitionem,

quæ *intelligibiles* sint, quarumque ne minimam quidem impulsionem umquam senserimus, Dei, immortalitatis animorum, providentiæ divinæ, cet. (*k*)?

Hac *Humii* doctrinâ ita movebatur *Immanuel Kantius*, ut magnam vitæ partem consumeret in tractandâ gravissimâ quæstione: *quid tandem cognosci ab hominibus possit, quid non possit* (*l*)? Magnum opus a magno Viro ita et susceptum et confectum est, ut nomini suo immortalitatem struxisse censendus sit. Quod enim non tantum nemo philosophorum effecerat, sed cujus suscipiendi ne in mentem quidem cuiquam venisse videtur, ut, quid scire possimus, quid ignorare cogamur, ex ipsa animi humani natura ejusque viribus efficeretur, id igitur docere conatus est *Kantius*. Et nos quidem an scientiæ humanæ terminos recte ille constituerit, nunc non quærimus; hoc dicimus, ipsam rei susceptionem magnum quiddam

---

(*k*) Vid. *D. Hume*, *Treatise on human nature*, *Lond.* 1739. *Essays and Treatises on several Subjects*, *Lond.* 1770. *Dialogues concerning natural religion*, *Lond.* 1779.

(*l*) Ipse *Kantius* hoc de se testatur in libro: *Prolegomenen zu einer jeden künftigen Metaphysik*, *p.* 13. » Ich gestehe » frey, die Erinnerung des David Hume war eben dasjenige, » was mir vor vielen Jahren zuerst den dogmatischen Schlum- » mer unterbrach, und meinen Untersuchungen im Felde der » speculativen Philosophie eine ganz andere Richtung gab."

esse, ac tanto ingenio dignum. *Kantius* igitur in eo præcipue libro, qui inscriptus est *Critica purae Rationis*, ita docuit, cognitionem humanam iisdem, quibus mundum sensibilem, terminis esse definitam; mundi intelligibilis nullam esse scientiam. Atqui ne res quidem sensibiles ita, *ut per se sint*, a nobis cognosci, sed tantum, ut nobis *appareant;* esse enim sensibilitatem nostram duabus *intuendi* conditionibus subjectam, *tempori* ac *spatio*, quæ notiones non ab experientia haustæ, sed sensibili naturæ nostræ inditæ sint. Porro *Intellectum* etiam nostrum certas habere cogitandi *formas*, quas ille *Categorias* appellat, quas rursus non ab experientia petierimus, sed ex ipso animi sinu expromamus et ad experientiam adhibeamus. Duodecim esse illas categorias, ad quadruplicem enunciationum affectionem, quam Logica tradat, ita referendas, ut singulis affectionibus trinæ categoriæ subjiciantur. Itaque ad Quantitatem pertinere, *Unitatem*, *Multitudinem*, *Omnitudinem;* ad Qualitatem, *Realitatem*, *Negationem*, *Limitationem;* Relationem complecti *Substantiam et Accidens*, *Causam et Effectum*, *Communionem;* Modalitati denique subjectam esse *Possibilitatem et Impossibilitatem*, *Esse et Non esse*, *Necessitatem et Contingentiam.* His igitur et Intuitionibus et Categoriis cum sensibilem, tum cogitantem nostram naturam esse subjectam, earumque hunc esse usum, ut normam aliquam constituant, ad quam

nostram de rebus in experientiam cadentibus cogitationem dirigamus, eas autem rerum, quemadmodum *ipsae per se sint*, nedum rerum intelligibilium, nullam scientiam afferre. Deinde cum hic sit rationis veluti cursus, ut ab una re, quæ ex aliqua conditione pendeat, progrediatur ad aliam, nec subsistat antequam ad eam rem pervenerit, quæ ipsa per se, nec sub conditione, existat (*unbedingt*), inde intelligi, rationi inditam esse *Ideam non-conditionati:* esse autem id, quod *non-conditionatum* appellemus, aut *subjectum*, quod non rursus sit prædicatum aliûs subjecti, aut *fundamentum* (causam), quod non amplius alii fundamento innitatur, aut *universum*, quæ non amplius sit pars alicujus rei majoris. Sed hæc hactenus poteramus enim dicere quoque de octo *Conceptibus Reflexionis*, rursus non ab experientia ductis, sed animi humani propriis: sed brevitati studendum est. Hi autem *Conceptus* atque tres illæ *Ideae* nihilo magis, quam Intuitiones et Categoriæ, valent ad comparandam nobis rerum aut intelligibilium, aut etiam sensibilium, *quales hae per se sint*, cognitionem. Iam illud quid persequar, quomodo *Kantius*, quod rationi theoreticæ abstulisset, id practicæ rationi fere reddere studuerit? Res notissima est, nec longa explicatione indiget. Cum enim ad bene beateque vivendum maximi momensi sint quæstiones de *Deo*, de *animorum immortalitate*, de *libertate nostra morali*, cumque *Kantius*

ratione theoreticâ duce de his rebus intelligibilibus quicquam aut sciri certo aut statui posse, negasset; ita illud scientiæ tranquillitatisque nostræ damnum resarcire voluit, ut *fidem practicam* strueret, in morali natura nostra fundatam. Hanc enim esse rationis practicæ indolem, ut, quod ratio theoretica ignoret, id ipsa, ut verum sit, *postulet.* Quamquam igitur de Deo, de animorum immortalitate, de morali hominum libertate nihil quicquam *sciamus,* tamen rationi practicæ hoc tribui debere, ut et esse Deum, et animos interitûs esse expertes, et liberam esse naturam humanam, *sumamus* atque *credamus.*

Hæc satis ad nostrum consilium sunto. Iam de hujus philosophiæ cum Mysticismo conjunctione dicamus. Et possit quidem hæc philosophia, quæ tam subtiliter nostram cogitandi facultatem pertractet, ac scientiæ humanæ fines constituat, inimica videri Mysticismo, id quod jam ab aliis animadversum est (*m*). Tenendum autem est, *Kantium* non sentiendi sed cognoscendi terminos constituere voluisse, qui quo arctiores constituuntur, eo magis sen-

---

(*m*) Vid. scriptio: *Die Mystik. Was ihr Nahme bedeutet, und was sie ist. Ein Brief von Herrn Ehrenfried:* in libro: *Der Lichtbote*, Maji 1806. *p.* 345. Auctor tamen bene docet, quatenus *Kantii* doctrina Mysticismo faveat: conf. etiam *Betracht. über den gegenw. Zust. der Philos. p.* 175.

sûs imperium, ut ita dicam, dilatari et amplificari necesse est. Sed faciundum est, ut viâ ac ratione procedat disputatio.

Kantii liber, quem paulo ante memoravimus, cum primum in lucem esset editus, Rigæ 1781. a doctis hominibus parum curabatur. Cujus rei causa partim in sermonis sive novitate sive obscuritate erat posita, partim in ipso argumento. Alii non legebant, alii legentes non intelligebant, alii intelligentes vix aliquo studio novam doctrinam dignam existimabant, quippe quæ usitatæ probatæque philosophiæ ruinam minitaretur, atque ne fundamentis quidem parceret, firmissimis illis atque ab ipsa natura jactis. Sed tandem, ut fieri assolet, indies rumor latius serpebat. Non loquar de hominibus clamosis, brevi raucis factis et obmutescentibus: ipsi Dii excitati sunt, tali gigante se movente et coelum attentante, *Mendelidem* dico, *Jacobium*, *Eberhardum*, *Federum*, *Herderum*, alios, quorum exemplo et auctoritate factum est, ut nova illa et inaudita philosophandi ratio paulo post per doctorum hominum ora volitaret atque cunctam commoveret Germaniam.

Quod supra de disciplinæ theologicæ conversione diximus, eam aliis placuisse, aliis displicuisse, idem philosophiæ Kantianæ accidisse constat. Nos igitur, cum hoc agamus, ut intelligatur, in hac doctrina quale quantumque præsidium Mysticimus habeat, primum de hujus rationis *reprehensoribus*,

tum de ejus *fautoribus* dicamus. Reprehensorum autem rursus eandem partitionem faciamus, quam supra fecimus Theologorum, ut eos in duo genera tribuamus, alterum eorum, qui antiquam sententiam adversus novæ doctrinæ impetum *argumentis* ac *rationibus* tuerentur, eorum alterum, qui a deserenda usitata philosophandi ratione atque ab amplectenda nova, *per intimum aliquem animi sensum* retinerentur.

Kantius cum *practicae* rationis dignitati admodum faveret, in illud vitium incidit, ut de ratione *theoretica* paulo iniquius atque comtemtius sentiret, id quod nonnulli ejus sectatorum ipsi fassi sunt. Cum de rebus intelligibilibus sermo est, rara in ejus scriptis sunt loca, in quibus rationi theoreticæ juris aliquid auctoritatisque concedatur (*n*). Itaque qui obloquebantur, magis id agebant, ut rationis theoreticæ patrocinium susciperent, quam ut practicæ dignitatem convellerent; ægrius ferebant, illam nimis a *Kantio* dejectam, quam hanc elatam tantopere ac laudatam esse (*o*): ut facile appareret, multos libentissime cum *Kan-*

(*n*) Vid. ejusmodi locum in *Kritik der reinen Vern.* p. 651. ed. 1794.

(*o*) Vid. ne alios nominemus, *Reinhardi Proleg. ad* 3.tiam *Ed. Syst. Mor.* et *Flattii Magaz. P.* V. *p.* 15. sqq. 19. sqq. VII. *p.* 16 sqq.

tio pacem fuisse facturos, ea quidem lege et conditione, ut utriusque rationis par auctoritas statueretur (*p*). Quotus enim quisque est, qui personæ suæ dignitatem aspernetur? Aut quis est, qui non intelligat, moralem hominum naturam a *Kantio* illustri quodam et excelso loco esse positam? Quamobrem nemini mirum videri debet, Kantianis his motibus illud esse effectum, ut multi eorum, qui novam doctrinam non probarent, tamen, cum de rebus intelligibilibus esset disserendum, et rationis theoreticæ testimonio cautius et circumspectius uterentur, et rationi practicæ plus tribuerent, quam adhuc soliti fuerant. Hæc ipsa autem erat aliqua ad Mysticismum accessio, quod homines, cum de rebus intelligibilibus quæreretur, non amplius in una rerum externarum contemplatione aut in unius rationis theoreticæ auctoritate omnem salutem ponerent, sed jam quoque crebrius et attentius, quam solebant, *se ipsi* intuerentur, atque mentis oculos converterent in illud moralis naturæ theatrum, ipsorum pectori inclusum, atque in ipsa natura nostra fundatum. Ciet enim illa *nostri* contemplatio aliquem divinitatis sensum ac

---

(*p*) In gravissima illa quæstione: *num sit Deus*: theoreticam et practicam rationem conjunctim adhibuit *P. J. S. Vogel* in *Gableri neuest. theol. Journal*, *Tom.* II. *P.* I. Conf. *J. J. Bellermann* in libro: *der Theologe*, *Tom.* II. *p.* 1. sqq.

suspicionem immortalitatis. Quæ quidem dignitatis atque spei conscientia ut in omnium bonorum animis habitat atque viget; ita, cum *sensu* potius, quam *ratione* nitatur, semina Mysticismi atque igniculos continet.

Veniamus ad *alterum* genus improbantium *Kantii* doctrinam, eorum, qui, cum ejus sententiam *rationibus* et *argumentis* infringi posse non putarent, tamen *intimo aliquo sensu*, *animique persuasione* prohiberentur, quominus illi se addicerent. Negari nequit, antiquæ Metaphysicæ a *Kantio* immedicabilia esse vulnera inflicta; multas ejus ædificii partes ita concussas atque disturbatas esse, ut earum prorsus desperanda sit instauratio. Sed cum de *ratione* theoretica triumpharet, *sensum* irritabat, et quanto plus auctoritatis hæc philosophia de ratione detrahebat, tanto plus sibi sensus sumebat. Quæ *Kantius* dixit de Tempore et Spatio, de Categoriis, de rerum cum sensibilium, tum intelligibilium, ignoratione, sunt ea ejusmodi, ut *rationibus* aut omnino non, aut non nisi a paucis, refelli queant, certe qui sibi *videantur* posse refellere. Quid igitur causæ est, quominus ceteri, *Kantii* argumentis victi, in *Kantii* se castra conferant? Scilicet sensus morosior est, quam ratio, nec tam facile, quod verum certumque putet, id eripi sibi et extorqueri patitur. *Intuitiones* illas et *Categorias* in animo esse abditas, non ab Experientia haustas; res sensibiles, quales ip-

sæ *per se* sint, a nobis non cognosci, earumque naturam posse longe aliam esse, quam nobis appareat; Deum esse, hujus universi conditorem, non tantum non Ontologico et Cosmologico, sed ne Teleologico quidem argumento effici posse; ista igitur placita *ratio* cogatur *Kantio* concedere, sed, per Deum immortalem! qua tandem machina, quo Neptuni tridente sensûs, tamquam maris alicujus, moti componentur fluctus? Si enim, ut hoc utar, cum hunc mundi ornatum amplitudinemque spectamus, temeraria sit *ratio*, quæ terminos, quibus circumscripta est, migret, et mox Auctorem mundi intelligibilem inducat; num *sensus* etiam torpebit, nec vim divinam suspicabitur, quæ hanc rerum universitatem sapientissime fabricata sit atque contineat (*q*)? Itaque fieri aliter non poterat, quin multi, qui adhuc *et* rationis *et* sensûs auctoritate, quæ *Kantius* labefactavit, ea certa esse ac firma crediderant, nunc rationis præsidio orbati, in uno sensu eo majorem fiduciam collocarent, quo ve-

---

(*q*) Recte *J. A. Wendel* in libro: *Grundzüge und Kritik der Philosophien Kant's, Fichte's und Schelling's*, *pag.* 10. ita scribit: » In der That liegt auch in der unbefangenen Menschennatur etwas, dasz sich gegen diese Sophisterey empört, wenn sie auch gleich nicht mit scharfsinnigen Grunden dagegen zu streiten weisz. Was? es giebt ausser mir keine Raum und keine Zeit, cet. vid. etiam *J. B. Schad*, libro mox laudando, *p.* 5. sqq. *p.* 20 sqq.

rius ac certius sibi persuaderent, eum neque a *Kantio*, neque a quoquam philosophorum aut oppressum esse, aut opprimi posse. Jam igitur apud multos, ratione debellatâ, sensus obtinere principatum cœpit. Et quoniam *Kantius* inprimis a rebus *intelligibilibus et ad religionem pertinentibus* rationem theoreticam repulerat, ea res apud multos eo valere debuit, ut rationis jacturam sensu compensarent, et ad Mysticismum inclinarent. Atque ita ferre naturam humanam, cum aliis aliorum, tum eorum etiam exemplis doceri potest, qui adversus *Humium* disputarunt, eum, a quo *Kantius* fluxit. Cum enim scepticam illam *Humii* subtilitatem *rationibus* profligari posse, desperarent, in *sensum communem* se conjiciebant, tamquam in portum aliquem, qui eos ab illa dubitationis procella tutos præstaret (*r*). Quid nostra ætate *Fridericus Henricus Jacobi*, vir egregius, atque summo ingenio præditus? Nonne is, cum a recentioribus philosophis omnia esse concussa atque loco dimota intellexisset, eo tandem

(*r*) *James Oswald*, *Appeal to common sense in behalf of Religion*, Edinb. 1766. 1772. *Thomas Reid*, *Inquiry into the human mind on the principle of common sense*, Lond. 1769. *James Beattie*, *Essay on the nature and immutability of truth in opposition to Sophistry and Scepticism.* Edinb. 1770. Lond. 1775. Vid. etiam *J. B. Schad*, *Geist der Philos. uns. Zeit*, *p.* 13.

adductus est, ut rationi theoreticæ bellum indixerit, nec quicquam certum atque stabile esse, existimaverit, nisi quod *fide* et *intima animi persuasione* niteretur: quibus ille verbis nil nisi *sensum communem* intelligere videtur, eamque causam ita explicat, ut in ejus scriptis Mysticismi vestigia facile agnoscantur (*s*). Sed satis esse declaratum arbitror, Kantianam doctrinam apud eos ipsos, qui eam non probarent, eo et valuisse et valere debuisse, ut homines, quo magis *rationis theoreticae* auctoritas imminuta videretur, eo plus tribuerent *sensui*, atque eam ipsam ob causam propius ad Mysticismum accederent.

Jam quid ego de *fautoribus Kantii* atque *sectatoribus* dicam, qui si constare sibi atque consentanei esse volunt, fateantur necesse est, gravissimis philosophiæ locis a *Kantio* esse impositum tamquam tegumentum aliquod *μυστηριῶδες*, in quo jactare

---

(*s*) Scripta *Jacobi* nunc ipsum conjunctim eduntur, atque Tribus adhuc Voluminibus constant. Vid. inprimis ejus Disputatio: *David Hume über den Glauben, oder Idealismus und Realismus*, Opp. *Tom.* II. *p.* 127. sqq. *Jacobi an Fichte*, *Tom.* III. *p.* 9. sqq. *Ueber das Unternehmen des Kriticism, die Vernunft zu Verstande zu bringen*, *Tom.* III. *p.* 84. sqq. *Von den Göttlichen Dingen und ihrer Offenbahrung*, ibid. *p.* 263 sqq. ne alia ejus scripta memoremus. Confer de hoc philosopho *C. F. Bachmann*, *Ueber die Philosophie meiner Zeit*, *p.* 83. sqq. Jenæ 1816. *et Dna de Staël Holstein*, in libro: *De l'Allemagne*, *Tom.* III. *p.* 215. sqq.

se Mysticismus solet. Et primum quidem si aliquo hujus disputationis loco recte posuimus, *rationis* ac *sensûs* eam esse mutuam necessitudinem, ut alterius detrimentum alteri incrementum afferat, sicut in libra altero pondere vergente alterum tollitur; hoc igitur si recte a nobis positum est, quis non intelligit, in *Kantii* doctrina quantum insit præsidium quantaque opportunitas ad gignendum Mysticismum, i. e. sensûs principatum? Eorum philosophorum, qui a *Kantio* appellantur *Dogmatici*, audax fuerat negotium, potestque in illos transferri, quod de Vellejo Epicureo dicit *Cicero*, eum de natura Deorum ita fidenter disseruisse, tamquam modo ex eorum concilio et ex Epicuri intermundiis descendisset (*t*). Hi igitur ratione omnia metiebantur, atque vel rebus intelligibilibus mathematicam disputandi severitatem adhibebant. Istam temeritatem *Kantius* voluit reprimere. Rem perfecerit, nec ne? nunc non quæritur: sed certe salubre fuit consilium. Frenos igitur rationi injecit, et qui eum sequuntur, terminos illi vident, quos migrare nec possint, nec debeant. Jam considerate, quam angustis cancellis septa sit procax illa et petulans ratio. Res extra hunc mundum adspectabilem positas prorsus ignoramus, et, ne in rebus sensibilibus nimium quis se jactet, illud meminerit, non ipsam

(*t*) *Cic. N. D.* I. 8.

rerum naturam a se cognosci, sed tantum aliquam earum speciem, quæ sensibus objiciatur. Ista si quis multis superioribus philosophis narrasset, ne vivam, nisi omnem de terris philosophiam sublatam esse, clamavissent. Et sane circumcidit *Kantius* magnam illius campi partem, in quo, tamquam in fundo suo, exsultare solita fuerat ratio. Incisis autem rationis nervis, fieri aliter non poterat, quin sensus extolleret se et regnum affectaret.

Deinde illud animadverti debet, quod paulo ante diximus, Kantianæ doctrinæ hanc esse indolem, ut omnibus rebus, quæ in philosophorum disceptationem cadere soleant, sive adspectabilibus, sive intelligibilibus, indiderit *mysticum* quemdam colorem. Res sensibiles, extra nos positas, Kantius *esse* concedit, *quales* sint, a nobis ignorari contendit. Rerum intelligibilium aliquam esse nobis *scientiam*, negat, docet autem, a ratione practica postulari, ut eas res vere esse, *credamus*. Quæ a ratione theoretica argumenta afferri solent, quibus *Deus esse* doceatur, ea infringit, et tamen de argumento teleologico honorifice loquitur (*u*). Ut verbo dicam: tantum nobis tribuit, ut aliquid sive scire, sive credere possimus; tantum rursus derogat, ut nil plene et absolute scire possimus, utque fides nostra fallere nos queat: quo fit, ut

(*u*) *Krit. d. rein. Vern. p.* 651.

et scientiæ ignoratio, et spei metus, et fidei probabilitati sive dubitatio, sive erroris periculum sit adjunctum. Jam illa, quæ a Logicis tractatur, notionum *obscuritas* ecquid tandem aliud est, quam hæc ipsa scientiæ ignorantiæque, fiduciæ ac dubitationis permistio? Si igitur vere diximus supra, *obscuris* notionibus *sensum* præcipue moveri solere, cuique perspicuum esse arbitror, quam facilis sit ab hac philosophia ad Mysticismum progressio.

Neque illud non est in hac causa maximi ponderis, quod, quæcunque de rebus intelligibilibus *Kantius* disserit, ea non rerum extra nos positarum (*objectorum*) contemplatione, sed morali nostrâ naturâ (*subjectivitate nostra*) nituntur. Fateor quidem atque est hoc etiam supra a nobis positum, nullam omnino esse disciplinam, ne mathesin quidem, quin ita per analysin retexi queat, ut tandem appareat, ultimam ejus causam positam esse in naturâ humanâ, i. e. in sensu communi, adeo simplicem illam, ut argumentationi nullus amplius locus sit (*v*). Sed est ceterarum disciplinarum ea ratio, ut, quamquam primum earum veluti fundamentum positum sit in sensu communi, sive in animi conscientiâ ac persuasione, tamen hujus fundamenti veluti *oblivisci possis*, *at-*

(*v*) *F. Hemsterhuis*, *Aristée*, *ou de la Divinité*, *p.* 167.

que mentem ab eo avocare. Si quis doctrinæ suæ hoc fundamentum jecerit: *cogito, ergo sum;* sive: *nihil potest simul esse et non esse:* huic quidem minime opus fuerit, ut per totam doctrinæ suæ, tamquam ædificii, exstructionem hujus fundamenti *meminerit.* Inter hæc enim prima communis sensûs enunciata, et doctrinæ, quæ iis superstruitur, consummationem interjectum est magnum intervallum, quod rationis theoreticæ argumentis occupatur et repletur. Accommodantur illa enunciata (*axiomata, aeternae veritates*) ad *res extra nos positas*, atque ita nascuntur *objectiva argumenta*, i. e. quorum materia petita est ab *objectis. Kantii* alia causa est. Omnis ejus de Deo, de animorum immortalitate, de libertate humanâ, disputatio *uno quodam et continuo vinculo* copulata est cum morali nostra naturâ. Brevis admodum est argumentatio: *naturâ sumus morali praediti, ergo Deum esse, animos immortales esse ac liberos, credamus oportet.* Quod autem illud vinculum *continuum* dicimus, hoc volumus, postulata rationis practicæ numquam mutari in argumenta objectiva: id, quod ponitur, *nos esse morali naturâ praeditos,* numquam accommodari ad aliquod objectum, extra nos positum: itaque Kantianæ sive fidei, sive argumentationis, ortum, progressionem, exitum esse prorsus *subjectivum.* Sic repellimur in nosmet ipsos, intus concludimur, nec foras prodire licet, dum alii rationis theoreticæ alis

evolant ac libere vagantur. Et si hoc ipsum, quod, cum de rebus intelligibilibus cogitare vis, necesse tibi est mentis oculos a rerum contemplatione avertere, atque *in te ipsum intentos et infixos habere*, ac veluti *tui ipsius cogitatione te involvere*; hoc ipsum igitur si est aliquod pabulum Mysticismi, quanto magis huc animus sive trahatur, sive proclivis sit, necesse est, cum omnis illius cogitationis tamquam fundamentum positum sit in *sensu* potius, quam in *ratione*. Quod cum dicimus, hoc volumus, Imperativi Categorici, sic enim appellant, auctoritati *quare* parendum sit, non *argumentatione*, sed *sensu* doceri : illam auctoritatem rationibus nec confirmari, nec everti posse; quemque autem illius legis, quam nobis insculpserit natura, sanctitatem *sentire*, quæ ne in quæstionem quidem disceptationemque cadere debeat. Ex hoc autem Imperativo Categorico cum uno quodam ac brevi vinculo nexa sit et apta omnis *Kantii* de Deo rebusque intelligibilibus sententia, facile intelligitur, ea doctrinæ Kantianæ pars, quæ est de Religione, quam arcte sit cum *sensu* copulata, quantumque habeat ad Mysticismi commendationem momentum.

Jam paucis verbis possumus rem complecti. Si quæritur, utrum Kantiana philosophandi ratio profuerit an obfuerit Mysticismo? cavendum est, ne duæ quæstiones confundantur. Potest enim in illa quæstione Mysticismi notio aut *infinite* accipi *de*

universo Mysticismo, aut *definite*, ut ad *certum quoddam Mysticismi genus* referatur. Cujus utriusque rei distinctio quam necessaria sit, mox intelligetur. Nam si supra vere diximus, eum esse universe Mysticum, qui in religionis causa sensu potius, quam ratione ducatur, fieri autem per humanam naturam aliter non posse, quin, ut aut sensus aut ratio opprimatur, ita altera pars efferatur et vires acquirat; sequitur, eam doctrinam, quæ, ut Kantiana, *rationis theoreticae* auctoritatem imminuat, eo ipso *sensum* excitare, adeoque Mysticismum adjuvare. Sed iidem si recte animadvertimus, esse solere quandam sensûs et rationis reciprocationem, ut pars oppressa aliquando principatum sibi vindicet, nec diu jaceat; illud etiam efficitur, utracunque pars opprimatur, eam oppressionem nihil aliud esse, quam instantis principatûs præparationem. Si igitur illa quæstio de philosophiæ Kantianæ cum Mysticismo necessitudine ad *universum* Mysticismum referatur, utrumque responderi potest, *Kantium*, infirmandâ rationis theoreticæ auctoritate, in præsentia adjuvisse Mysticismum, eundem vero præparavisse rationis principatum, adeoque obfuisse Mysticismo. Sed longe aliter ad eandem erit quæstionem respondendum, si de *certa quadam* Mysticismi formâ, i. e. de *hodierno Mysticismo* sermo sit. Scilicet, ut postea intelligetur, ea fuit *Kantii* fortuna, ut, qui eum secuti sunt, philosophi, *Fichtius* et *Schellin-*

gius rationis auctoritatem, ab ipso labefactatam, jacere passi sint, nec vindicaverint. Itaque jacente per hos philosophos ratione, principatus mansit penes sensum, quinetiam valde confirmatus est. Ex quo sequitur, cum supra, perspicuitatis causâ, duplicem constituerimus Mysticismi quasi speciem, (quamquam ejusdem fontis duplex tantum rivulus est) alteram, in qua sensus dominaretur, alteram, in quâ phantasia; priorem illam speciem cum Kantiana philosophia suapte naturâ esse conjunctam, atque a *Kantio* de industria esse adjutam.

Sed, ut postea apparebit, *Kantius* quasi inscius ac præter exspectationem auctor exstitit alterius etiam speciei, quæ *phantasiâ* nititur. Represserat ille rationis theoreticæ impetum, nec eam extra temporis ac spatii terminos evolare siverat. Quibus terminis cum circumscripta esset ratio, sic ille concludebat, nullam humano generi concessam esse rerum intelligibilium scientiam. Eratne probabile, homines religioso sensu imbutos, in hac maximarum rerum ignoratione acquieturos esse? Nonne necesse fuit fieri, ut aliquando philosophus existeret, qui aut rationem pristinæ dignitati restitueret, aut, si ea de re desperaret, in rationis locum aliud quoddam quasi instrumentum substitueret, quo rerum intelligibilium et ad religionem pertinentium scientiam nobis comparare possemus? Et re vera id, quod posteriori loco posuimus, accidit. *Schellingius*, hodierni Mysticismi pater, ra-

tionem theoreticam magis etiam, quam *Kantius*, contemsit, sed negavit, jure a *Kantio* ita esse rationem conclusam, nullam esse nobis rerum intelligibilium cognitionem. Quid igitur fecit? *phantasiam* obtinere voluit locum rationis; esse nobis facultatem statuit *intuendi* res intelligibiles. Potestne cuiquam dubium esse, quin, quod *Kantius* rationem theoreticam prostravisset, ea ipsa res apud *Schellingium* ejusque sectatores multum valuerit ad arripiendam phantasiam, quæ rationi quasi succederet? Equidem certe ita mihi persuadeo, si *Kantius*, quantum rationem theoreticam labefactavit, tantum ejus auctoritatem confirmasset, aut etiam intactam reliquisset, numquam futurum fuisse, ut in rerum intelligibilium cognitione plus phantasiæ quam rationi theoreticæ tribueretur. *Kantii* sententia, res intelligibiles a nobis cognosci non posse, peperit contrariam *Schellingii* sententiam, eas res omnino a nobis cognosci posse. Et quod *Kantius* sententiam suam ita confirmaverat, ut rationem temporis spatiique terminis circumscriptam esse diceret, *Schellingius* ad phantasiam et *Intuitionem Intellectualem* confugit.

§ II.

De Philosophiae Fichtianae cum Mysticismo conjunctione.

QUAMQUAM Dogmatici, qui inde ab *Aristotele* usque ad *Wolfium* exstiterant, in summa opinionum varietate ac discrepantia versati fuerant, in hoc tamen convenerant, quod unum habebant et communem hostem Scepticismum, adversus cujus impetum tueri se deberent. Illi vero rem suam male egisse videbantur *Kantio*, ita existimanti, nullam adhuc exstitisse sectam Dogmaticorum, quæ contra Scepticorum tela satis esset munita; neque fieri posse, ut Dogmatici se tuerentur, nisi animi facultatibus Critica adhiberetur, quæ cognitionis nostræ terminos pangeret. Hanc igitur Criticam *Kantius* eo, quo diximus, modo adhibuit; nec tamen res ita ei successit, ut Scepticismo nervos inciderit (*w*). Quid? quod adjuvisse etiam quo-

(*w*) Vid. *Aenesidemus, oder über die Fundamente der von dem Hrn. Prof. Reinhold in Jena gelieferten Elementarphilosophie, nebst einer Vertheidigung des Skepticismus gegen die Anmassungen der Vernunftkritik.* Helmst. 1792. Cujus libri, subtilissime scripti, auctor perhibetur *G. F. Schulze.*

dammodo Scepticismum videtur? Quid enim Scepticis gratius et magis optato accidere poterat, quam id, quod *Kantius* etiam atque etiam contendit, nos res, *ut ipsae per se sint*, non posse cognoscere (*x*)? Sed etiamsi hæc *Kantii* sententia ita explicari possit, ut nil firmamenti inde Scepticismo accedere possit, quis tamen non videt, haud pauca ab acutissimo viro ut certa et indubitata poni, quæ iis, qui istam dubitandi consuetudinem sequuntur, haud facile probaverit? Primum *Kantius* sumit, *esse* Experientiam, atque eam sententiam sic probat, quod non aliter facere non possimus, quin varias nostras ac multiplices Observationes conjungamus, ut unum veluti corpus Observationum fiat, qua conjunctione Experientia contineatur? Atqui, inquit Scepticus, ex eo, quod nos aliter *cogitare* non possimus, quomodo tandem consequatur, rem ipsam neque aliter se habere, neque habere posse? Aut quomodo ista rationis conclusio universæ hujus philosophiæ indoli consentanea sit, quæ aliis locis hanc argumentandi temeritatem valde aspernetur? Deinde cum *Kantius*, esse Experientiam sumit, quæ ex Observationum nostrarum copulatione gignatur, illud sumit esse aliquam Observationum nostrarum *materiam*, *quae nobis exstrinsecus praebeatur*, quam elaboremus, quamque mente recipia-

---

(*x*) *Schad*, *Geist der Philos.* in Præfat. *p.* X. sqq.

mus. Atqui hoc ipsum in disceptatione versatur, liceatne ab eo, quod nos sentiamus, argumentum ducere, res extra nos positæ non tantum *quales* sint: in quo *Kantius* Scepticis assentitur: verum etiam, *an sint omnino?* Quod cum per se probari non potest, tum pugnat etiam cum ipsa Critica Kantiana. Res enim, quibus afficimur, et *existere* sumuntur, et *causæ esse* affectionis. Atqui hæc ipsa, *existere* et *causam esse*, ab ipso *Kantio* ad Categorias referuntur, et cogitandi formæ, non rerum qualitates, habentur (*y*).

Cum igitur *Kantius* rem non feliciter gessisse videretur, aliis armis Scepticismum adortus est *Ioann. Theoph. Fichtius*, vir magno ingenio præditus. Nullum aliud ille constituebat philosophiæ principium, quam quod ipsi dabant Sceptici, *conscientiam nostri*. Concedebat Scepticis, fieri non posse, ut *absoluta* rerum *existentia* demonstaretur (*z*). *Absolute* autem aliqua res *esse* dicitur, quæ etiam tum existit, cum nos ejus rei notionem non informamus, i. e. *extra nostram*

(*y*) Vid. *D. T. A. Suabedissen*, *Resultate der philos. Forschungen über die Natur der Menschlichen Erkenntnisz*, *von Plato bis Kant: pag.* 315—325. Marb. 1805.

(*z*) *Existentia* non bene latine dicitur. Plura deinceps vocabula adhibebimus, quæ Latinitas aut omnino ignorat, aut hoc novo certe significatu non fert, qualia sunt *Absolutum*, *Ego*, *Non-ego*, cet. Poteramus fortasse evitare. Sed castitati minus, quam perspicuitati, studendum duximus.

ejus rei propositionem. Sed alia erat Sceptico-rum, alia *Fichtii*, argumentatio. Illi per angustos terminos, quibus animi nostri facultates circumscriptæ sint, fieri posse negabant, ut absoluta rerum existentia a nobis cognosceretur. *Fichtius* propterea negabat, quod ipsa notio *absolutæ existentiae* inepta ei videbatur et absurda, et secum ipsa pugnans. Nam ipsum illud *existere* non esse rerum per se spectatarum proprium, sed a nobis existentiam iis tribui, quoniam aliter nullam earum notionem informare possimus. Itaque notionem *existentiae* prorsus esse *subjectivam*, nos eam ex animo nostro expromere, atque, necessitate coactos, rebus accommodare: de rebus autem *ipsis* atque *per se spectatis*, dici non posse, eas *existere*. De re intelligibili qui dixerit eam *existere*, eum non magis rationi consentaneum dicere, quam qui dixerit; *circulum quadratum* existere: nam notione *existentiae* tolli notionem, ut ita dicam, *intelligibilitatis*. Hinc intelligi potest, quare notio *absolutae existentiae*, eo, quo diximus, sensu accepta, *Fichtio* absurda, i. e. ut ajunt, *contradictoria* videri debuerit.

Jam posito eo, quod diximus, philosophiæ fundamento, *conscientia nostri*, ita porro *Fichtius* argumentatur, in ea *conscientia* poni *Ego*, atque omnis philosophiæ ac cognitionis humanæ principium esse A=A. sive *Ego sum Ego*. Huic Ego necessario aliquid opponi, quod sit *Non-Ego*. Illud Ego nihil aliud esse, quam *Actionem*, quæ

sibi ipsi necessario terminos ponat: *esse igitur terminatam ac certis limitibus circumscriptam libertatem.* Illud autem Non-Ego, quod huic Ego opponatur, esse res extra nos positas, *contrarium Actionis atque libertatis*, ortum ex illa τοῦ Ego limitatione. Jam præter notiones Ego et Non-Ego, ex eadem conscientia nostri *Fichtius* elicit tertiam notionem *absoluti Ego, purae Actionis, nullis limitibus terminatae libertatis*, i. e. *Dei.* Quod cum mox simus declaraturi, nunc hoc obiter animadvertimus, *Fichtium* nihilo melius, quam *Kantium*, debellavisse videri Scepticismum. Hoc enim erat præcipuum, hoc imprimis agere debuerat, ut ostenderet, τῷ *Ego necessario opponi aliquid, quod esset Non-Ego*, i. e. *res extra nos positas.* Hoc enim si ostendisset, tam certo eas res existere effecisset, quam nos habere conscientiam nostri. Ille vero hoc nusquam effecit.

Sed nos agamus, quod nostrum est, atque de Fichtiana religionis doctrina dicamus. Eadem illa, de qua diximus, conscientia nostri docet, nos *liberos* esse; simul autem animadvertimus, actionem, sive potius, ut ita dixerim, *activitatem* liberi nostri Ego *limitatam* esse per conscientiam *officii*, quo adstricti simus, cujusque officii tamquam *materia* sit *Non-Ego*, sive *mundus adspectabilis.* Quæritur ergo, quomodo eadem conscientia nos liberos et rursus limitatos esse, docere queat; aut quomodo fieri possit, ut nec libertas limitationem,

neque hæc illam, tollat? Respondetur, hanc pugnam ita componi, ut statuatur, liberum nostrum Ego *non aliunde esse terminatum*, sed *sibi ipsi* libere terminos posuisse. Hinc efficitur, Non-Ego, sive mundum objectivum, qui ex voluntaria illa limitatione ortus sit, *e nobis ipsis prodiisse*, atque effectum esse nostræ libertatis. His igitur terminis nos ipsi circumscripsimus.

His positis *Fichtius* ita pergit. Unaquæque natura, ratione prædita, appetit *beatitatem:* quam qui in voluptate, in sensuum titillatione, aut omnino in fruendo ponunt, in magno opinionis errore versantur. Beatitas nil aliud est, quam *libertas a sensibilis naturae impulsione*, i. e. *independentia a sensualitate.* Practicum illud ac liberum *Ego* convellere debet terminos, quos sibi ipsum posuit. Illud Non-Ego fieri debet Ego. Tollenda sunt *objecta*, quibus sublatis perfecta existit libertas, i. e. beatitas. Sed penitus tollere illos terminos finitum Ego non potest: fieret enim infinitum, si nullis amplius terminis definiretur. Itaque esse debet infinita quædam ad illud beatitatis consilium accessio. Id agere morale Ego debet, ut termini continue proferantur, utque spatium, in quo versetur, identidem majus fiat ac dilatetur, id est, si verborum proprietatem sequimur, ut magis magisque liberi fiamus a sensibilis naturæ vi et impulsione. Et quoniam, quod Ego terminos dimovere, i. e. prorsus liberum fieri vult,

idem sibi voluntarie hos terminos ponit; sequitur, illud Ego beatitatis consilium urgere tantum et posse et velle intra illos terminos, quibus se ipsum incluserit, i. e. colendo officio, quod quale sit, conscientia nostri nos docet, in quacunque tandem vitæ conditione versamur. Cum autem illos limites magis magisque proferre, atque a *sensualitate* nos liberare conamur, tum enitimur in *moralem mundi Ordinem* sive *Ordinationem*, quem *Fichtius* appellat *Deum*. Et cum firmiter nobis persuademus, nos per *voluntatis* nostræ liberationem ab omni vi et impulsione sensibilis naturæ, tandem dignos evadere posse, qui non solum *voluntate*, sed *omnino* et *ex omni parte* (*a*), ab illa vi et efficacia liberi simus; hoc igitur est credere, *exstare illum Ordinem sive Ordinationem moralem*, *esse Deum*.

Jam in hac philosophandi ratione quanta insit ad gignendum et adjuvandum Mysticismum opportunitas, facile intelligitur. Multa, quæ supra de *Kantii* ratione diximus, in *Fichtianam* philosophiam conveniunt. *Fichtius* ponit *conscientiam nostri* tamquam omnis philosophiæ fundamentum. Et Dei et officiorum nostrorum cognitionem non aliunde, quam *ab intimo animi nostri sacrario* peti debere, contendit. Quid? quod totius mun-

(*a*) *In Ansehung unsers ganzen Zustands.*

di sensibilis fontem et causam in *nobismet* positam esse, docet. Quanta autem sit illius philosophiæ, quæ tota quanta *subjectivitate* nostrâ nitatur, ad Mysticismum inclinatio, et res ipsa loquitur, et supra declaravimus. Quo autem intelligatur, quanto magis etiam Fichtiana, quam Kantiana, philosophandi ratio, Mysticismo faveat, tria animadvertamus.

Primum, quamquam *Kantius* sensibilem nostram naturam morali subjecerat, atque hanc esse illâ potiorem contenderat, tamen in constituendo *summo bono* tam sensibilis, quam moralis naturæ nostræ rationem habuerat, cum ita definiisset, summum bonum esse summam moralitatem cum felicitate summa conjunctam. Duas igitur fecerat summi boni partes, moralitatem et felicitatem, quarum illam ad moralem, hanc ad sensibilem nostram naturam retulerat. Quid *Fichtius?* Prorsus abesse vult a summo bono, quod omnes expetamus, istam felicitatem sensibilem. Frangere jubet vim sensibilis naturæ, a quâ quo liberiores simus, eo propius a beatitate nos abesse. In ea enim libertate positam esse beatitatem. Cumque illam libertatem appetere et consequi conari, nihil aliud sit, quam officio fungi ac virtutem colere, sequitur, sensibilem nostram naturam a *Fichtio* censeri maximam virtutis adversariam. Quid tandem aliud faciunt Mystici, qui in virtutis arcem se eniti posse non arbitrantur, nisi hominum societatem relinquant,

in solitudinem se conferant, et modis omnibus vim inferant naturæ, ne sensibilitatis laqueis irretiantur? Non quo eadem sit *Fichtii* atque istorum Mysticorum ratio (*b*): sed hoc volumus, utrisque ita placere, qui virtutem beatitatemque consequi velit, eum oportere omnia studia sua omnesque cogitationes eo conferre, ut sensibilis vis naturæ frangatur.

Deinde: cum inter Kantianam ac Fichtianam summi boni definitionem tantum, quantum diximus, intersit, in hoc uterque philosophus convenit, illud nobis esse agendum, ut summo bono *digni* evadamus. Si autem quæratur, possimusne omnino, aut quomodo possimus id, quo digni simus, adipisci? in magna varietate versantur. *Kantius* Deum inducit, qui nobis id impertiatur, quod nostro quodammodo jure postulare possimus. *Fichtius* contra unâ *dignitate* nos contentos esse jubet; numquam enim fore ut perfectam beatitatem, i. e. libertatem a sensibilis naturæ impulsione, consequamur. Vult autem, ut in summum illud bonum ita enitamur, quasi illud adipisci possimus et aliquando simus adepturi. Sed hoc propositum ut constanter urgeamus, necesse est, ut credamus, *exstare* illud summum bonum, i. e. *existere Ordinem mundi Moralem*, cujus status nulla sensibi-

(*b*) Vid. *Flattii Magaz. Part.* VI. *p.* 187.

litatis vi turbetur. Hunc autem Moralem Ordinem cum *Fichtius Deum* appellet, atque in eum nos eniti jubeat, ut ejus veluti participes fiamus, quid aliud nos facere jubet, quam *ut cum Deo conjungamur*, in qua conjunctione, ut supra docuimus, præcipuum positum est consilium Mysticismi?

Denique: ut intelligatur, Fichtiana philosophia quanto propius ad Mysticismum accedat, quam Kantiana, animadvertendum est, qualem uterque philosophus Deum inducat. *Kantius*, quamquam quid aut quale sit Deus, nos scire neget, tamen Dei naturam *a mundo atque a nobis separat.* Quid rursus *Fichtius?* Cum primum suam religionis doctrinam ita explicuisset, ut Deum *personam* esse negaret (*c*), magni per cunctam Germaniam clamores adversus eum sunt sublati, ut qui Deum penitus sustulisset. *Fichtius* ita se tuitus est, ut causam suam etiam deteriorem fecisse videatur. Nam cum primum de Ordine Morali, quem ille Deum dicebat, ita disseruisset, ut dubium certe esset, utrum de re *objectiva*, an de *subjectiva* loqueretur, in posteriori scriptione, qua de Atheis-

---

(*c*) *Fichte*, *über den Grund unsers Glaubens an eine göttl. Weltregierung:* in *Niethammeri Philos. Journ. Tom.* VIII. *Part.* I. cum qua *Fichtii* scriptione jungenda est *Forbergii disp.* quæ ibidem exstat: *Entwickelung des Begrifs der Religion.*

mi crimine se purgaret, ita sententiam suam exposuit, ut nullus amplius dubitationi superesset locus (*d*). Ita enim disputat, Ordinem illum Moralem *non exstare a morali nostra natura sejunctum:* nos autem, cum illum Ordinem nobis informemus, tamquam singularem aliquam ac per se existentem naturam (Ens), populariter ita facere et finitæ nostræ naturæ necessitate coactos. Nam quemadmodum, cum de aëris temperie calida aut frigida loquamur, non continuo hoc velimus, calorem et frigus esse aliquid a sensu nostro sejunctum, i. e. *objectivum;* ita Ordinem Moralem, i. e. Deum singularis naturæ (entis) notione comprehendi posse, ut tamen Deus seorsim existere atque a morali nostra natura separatus, existimari non debeat. Hanc ille sententiam ita urget, ut, qui aliter sentiant, eos *Idololatras* appellet (*e*). Et nos quidem, ut hujus rei judicium aliis relin-

---

(*d*) *Appellation an das Publicum über die ihm beygemessenen atheistischen Aeusserungen*, Jenæ et Lips. 1799.

(*e*) Ita loquitur in *Appellat.* « Dieser um der Sinnenwelt willen angenommene substantielle Gott, was ist er für ein Wesen? — ein in Raume ausgedehnter Körper, wie ihn etwa die fromme Einfalt, oder das alte Dreszdner Gesangbuch abmahlt: — ein heilloser *Götz* — dahin führt der unmögliche, der widersprechende Begriff von einem besondern göttlichen Wesen.» Vid. *J. A. Eberhard, über den Gott des Hrn. Prof. Fichte und den Götzen seiner Gegner.* Hal. 1799.

quimus (*f*), ita hoc unum animadverti volumus, quam *arcto vinculo*, ex hac *Fichtii* sententia, *cum Deo simus conjuncti*. Quatenus enim liberi sumus, eatenus *Deus in nobis inest*, nec ille existit a morali natura nostra secretus. Unumquodque finitum Ego veluti particeps est absoluti Ego, i. e. Dei, a quo rursus separati sumus per voluntariam illam, de qua supra diximus, nostri limitationem (*g*).

Hæc de *Kantio* ac *Fichtio*: Quæ ne quis male interpretetur, antequam ad *Schellingium* pervenia-

---

(*f*) Vid. praeter alia multa de hoc argumento scripta, *Flattii Magaz.* V. *p.* 1. sqq. *p.* 174. sqq. *Vogel*, *Schlüssel zu dem Fichteschen System*, in *Neues Theol. Journ. Tom.* XIV. *p.* 266. *J. H. G. Heusinger*, *über das idealistisch atheistische System des Hn. Prof. Fichte.* Dresd. et Goth. 1799. *Eberh.* l. c.

(*g*) Supra, pag. 109 sq. vidimus, *Kantii* sententia, *res intelligibiles a nobis cognosci non posse*, quantum valuerit ad inducendam illam Mysticismi speciem, quae *phantasiâ* nitatur. Quod eo loco de *Kantio* diximus, idem transferri ad *Fichtium* potest, quippe a quo ipse *Schellingius* se dissentire fateatur, cum alias ob causas, tum quod ille aliquam nobis scientiam esse rerum intelligibilium neget: vide Notam (*o*) proxime sequentem. Itaque ne idem sæpius dicere cogamur, rogatos volumus lectores, ut ad superiorem illum de *Kantio* locum se recipiant.

mus, pauca monenda sunt. Etiamsi *Kantius* et *Fichtius* ita fuissent philosophati, ut eorum doctrina nullam haberet cum Mysticismo conjunctionem, quinetiam si eorum ratio prorsus Mysticismo adversata fuisset, tamen silentio eos præterire non potuissemus. Cum enim quæreretur, quid causæ esset, cur multi nostra ætate Mysticismo se dederent, declarandum videbatur, qualis esset hoc tempore philosophiæ status. Cui officio cum satisfieri non posset, nisi intelligeretur, quæ esset præcipuarum, quæ hac ætate exstiterint et adhuc exsistant, scholarum inter se necessitudo, de *Schellingio* dicere non poteramus, nisi prius de *Kantio* ac de *Fichtio* dixissemus. *Schellingii* ratio, ut mox videbimus, non tantum ad Mysticismum ducit, sed ipsa per se mystica est. Itaque ea, quam tractamus, quæstio quodammodo eadem est atque illa: cur *Schellingio* hæc potissimum philosophandi ratio placuerit? Cui quæstioni responderi non potest, nisi ante consideretur, in quam philosophiæ conditionem *Schellingius* inciderit, antequam suam ipse doctrinam expromeret. Hoc enim cum declaratum est, *quare* superiores philosophi *Schellingio* non prorsus placuerint, tum demum novæ, quam ipse condidit, scholæ causa ac ratio intelligi potest.

Quanto autem magis de *Kantio* ac *Fichtio* necesse nobis erat dicere, cum ipsorum quoque philosophandi ratio, ut vidimus, multis nominibus

Mysticismo faveret, ut *Schellingio* viam muniisse censendi sint. Quod cum dicimus, non hoc volumus, neminem ex *Schellingii* doctrina aut exstitisse aut existere posse Mysticum, nisi qui prius Kantianus aut Fichtianus Mysticus fuerit. Sed hoc volumus, utramque illam, de qua diximus, philosophiæ formam multorum animos ita affecisse, ut Schellingiana doctrina, *quatenus et ipsa per se mystica esset et Mysticismum adjuvaret*, facilius se hominibus commendaret, quam probabiliter factum fuisset, si *Schellingius* non proxime *Kantium* aut *Fichtium*, sed ejusmodi philosophos fuisset secutus, in quorum doctrina cerneretur rationis et sensûs quædam naturalis æquabilitas.

Non de hominibus loquimur, sed de re; non de singulis, sed de universa cogitandi ratione, quem *Genium* sive *Spiritum temporis* appellant. Nolumus ex iis, quæ diximus, plus colligere, quam colligi possit ac debeat. Hoc unum nobis concedatur, *Schellingii* doctrinam in illud tempus incidisse, quod magna haberet ad Mysticismum momenta, magnasque opportunitates, quas Kantiana et Fichtiana philosophandi ratio attulisset. Itaque hominum animos quodammodo præparatos fuisse, non tantum ad probandam ac suscipiendam *Schellingii* doctrinam, sed etiam ad omnem doctrinam, quæ Mysticismum adjuvaret, ejusque latentia in animis semina eliceret et ad maturitatem perduceret. Utrum Schellingiana philosophandi ra-

tio cum *Kantii* ad *Fichtii* doctrina ex omni parte conveniret, an etiam pugnaret, parum intererat: sufficiebat, duos illos philosophos suo singulos modo jecisse fundamenta Mysticismi, quem suo rursus modo exstruxit et consummavit *Schellingius*. Nos igitur, quamquam probe noveramus, de eo præsertim Mysticismi genere, quod Schellingiana philosophandi ratio peperisset, quæstionem esse, tamen haud alienum fore arbitrabamur, si, in philosophorum proxime superiorum doctrinâ quid ac quantum esset Mysticismi præsidium, breviter exponeremus. Docet enim omnis temporis historia, non tantum ad novæ alicujus doctrinæ originem, causam, indolem intelligendam, necesse esse, ut, quando et quo philosophiæ statu, illa primum exstiterit, accurate teneamus, verum etiam causam, quare nova doctrina aut secundâ, ut ita dixerim, aut adversâ fortunâ usa sit, melius intelligi non posse, quam si eam cum eo philosophandi genere, quod proxime antecesserit, comparemus. Itaque, antequam de *Schellingio* dicamus, hoc ponimus, *Kantii* ac *Fichtii* philosophiam eo valuisse, ut *objectiva* rerum intelligibilium argumenta tollerentur, succedentibus in eorum locum argumentis *subjectivis:* eandem fuisse vim illius religionis doctrinæ, quam commendaverit *Fridericus Henricus Jacobi*, egregius profecto ac gravissimus philosophus. *Schellingius* igitur, cum novæ doctrinæ auctor existeret, in illud tempus incidit, quo ra-

tionis theoreticæ, *in rebus ad religionem pertinentibus*, *labefactata ac magna ex parte sublata esset auctoritas* (*h*). Neque tantum in *Kantii* ac *Fichtii* sectatores hoc convenit, sed etiam quodammodo in eorum, imprimis *Kantii*, adversarios. Quis enim ignorat, multos eorum, qui illis philosophis non prorsus assentirentur, tamen ex eorum doctrina hoc sibi adscivisse, ut nisi *objectiva* religionis argumenta prorsus abjicerent, certe *Subjectiva* iis adjungerent, ac nisi illis anteponerent, certe pari loco haberent (*i*)? In hac autem philosophiæ conditione quantum inesset Mysticismi adjumentum, ex iis, quæ in Prolegomenis disseruimus, intelligi potest. Quod magis etiam apparebit, si teneamus, *Kantium* meliori successu *destruxisse* antiquum philosophiæ tamquam ædificium, quam *exstruxisse* novum. Itaque fieri non

---

(*h*) Ipse *Schellingius* ejusque sectatores hoc testantur: vid. Disput. *Glauben und Wissen*, *oder die Reflexionsphilosophie der Subjectivität in der Vollständigkeit ihrer Formen*, *als Kantische*, *Jacobische und Fichtesche Philosophie*: in *Kritischen Journal der Philosophie*, *herausgegeb. von Schelling und Hegel. Tom.* II. *Part.* I. Conf. etiam *J. Fries*, *Fichte's und Schelling's neueste Lehren von Gott und der Welt*: Heidelb. 1807. *p.* 44. Ceterum *Kantius*, *Fichtius* et *Jacobi* quantopere Mysticismo *Schellingiano* viam munierint, docet etiam *Lücke* in *Stäudlini* et *Tzschirneri Archiv für Kirgengesch. Tom.* II. *Part.* I. *p.* 133. sq.

(*i*) Conf. quae supra pag. 100 sqq. de *Kantii* adversariis diximus.

poterat, ut, qui illam *demolitionem* probarent, iisdem etiam continuo omnibus placeret *exstructio*, aut ut, *theoretica* ratione repudiata, continuo ad *practicam* omnes confugerent. Quorsum igitur? ad *sensum* nimirum. Nam antequam *Kantius* illam sive *fidem* sive *argumentationem practicam* commendasset, homines ita fere judicabant, et adhuc multi judicant, religionis causam duobus veluti fundamentis niti, *ratione theoretica*, et *sensu*, quorum illud rursus hoc tamquam altiori ac profundiori nitatur (*k*). Superiori igitur illo rationis fundamento subruto, *sensûs* fundamentum relinquebatur, cui illi, qui non tantum, quantum *Kantius*, rationi *practicae* tribuerent, suam de religione sententiam ac persuasionem superstruerent: in quorum numero est is, quem jam memoravi, *Fridericus Henricus Jacobi.*

(*k*) *F. Hemsterhusius* in scriptione: *Aristée, ou de la Divinité*, *p.* 166. sq. » L'homme est en apparence susceptible » de deux especes de conviction: l'une est un sentiment in» terne, ineffaçable dans l'homme bien constitué; l'autre dé» rive du raisonnement, c'est-à-dire, d'un travail de l'in» tellect conduit avec ordre. La seconde ne sauroit subsister » sans avoir la première pour base unique."

§ III.

De Philosophia Schellingiana, Mysticismi genitrice.

Explicanda igitur illius nobis scholæ ratio est, quæ perfecit ac consummavit Mysticismum. In quo si oratio mea aliquam obscuritatem contraxerit, æquos me esse habiturum lectores confido. Ceterum amputatis iis, quæ ad scriptionem nostram proprie ac necessario non pertineant, quamtum potero, brevitatem sectabor.

Idealismus ille, quem induxerat et commendaverat *Fichtius* (*l*), ex hac parte claudicabat, quod ille, cum mundum *objectivum* sustulisset, sine causa ac ratione *Empiricum* nostrum *Ego* ex hoc communi naufragio eripi posse putaverat. Vos,

---

(*l*) Quin etiam ipsum *Kantium* Idealistam fuisse, contendit *Jacobi*, in scriptione, *über Idealismus und Realismus:* quæ extat *Opp. Tom.* II. *p.* 127. sqq. et in alia Disputat. *über das Unternehmen des Kriticism.* cet. *Tom.* III. *p.* 84. Conf. etiam *Drey Briefen von F. H. Jacobi an Friedr. Köppen*, *p.* 258. sq. Quæ Epistolæ adjunctæ sunt libro *Koeppenii: Schellings Lehre, oder das Ganze der Philosophie des absoluten Nichts.* Hamb. 1803.

Legati Teyleriani moderatores, si mihi proponam, estis Non-Ego, estis Nihil. Quod enim proponit sibi aliquid, est *Subjectum* (Ego), quod proponitur, est *Objectum* (Non-Ego); objectum autem ex *Fichtii* sententia est Nihil. Atque unusquisque Vestrum suum rursus sibi *Ego* habet, quod procul dubio tueri velit. Est autem nihil facilius, quam par pari referre. Hoc enim Vobis a *Fichtio* jus talionis adsignatur, ut me, qui Vos in Nihil redegissem, rursus in Nihil redigatis, et statim, qui modo Non-Ego eratis, fiatis Ego. Nam ego Vobis *Objectum* sum, et Vos mihi. Itaque nos invicem interimimus. Sed satis de istis ineptiis: seria res agitur.

Doctrinæ Fichtianæ primum amator et commendator fuerat *Frid. Gul. Jos. Schelling*, vir non vulgari sane ingenio præditus, eamque doctrinam egregie explicuerat (*m*). Sed in hac ipsa explicatione intelligentiores jam cernere sibi videbantur primordia illius doctrinæ, quæ postea, *Schellingio* auctore, *Philosophia Identitatis* appellata est (*n*). Neque vero probabile erat, talem virum, qualis erat *Schellingius*, cum *Fichtii* doctrinam iterum iterumque pertractasset, aut illum, quem jam memora-

---

(*m*) Vid. *System des transscendentalen Idealismus*, *von F. G. J. Schelling*, Tub. 1800.

(*n*) Vid. *Jacobi. Briefen an Köppen*, *p.* 250.

vi, aut alios etiam *Fichtianos* errores non animadversurum fuisse. Itaque novæ doctrinæ auctor exstitit, et quam ob causam a *Fichtio* discedendum sibi putaverit, diserte explicuit. Quo autem intelligatur, quæ sit utriusque doctrinæ diversitas, ipsius *Schellingii* verba infra apponemus (*o*).

Omnino *Fichtius* sine causa ac demonstratione sumserat, *Objectivum* manavisse ex *Subjectivo*, i. e. ex Ego. Quidni enim, inversa ratione, *Subjectivum* ex *Objectivo* genitum esse dicamus? Atqui

---

(*o*) *Schellingius*, in libro: *Darlegung des wahren Verhältniszes der Naturphilosophie zu der verbess. Fichte'schen Lehre*, Tub. 1806. *p.* 1. has potissimum Fichtianæ doctrinæ partes rejicit: « es sey eine Erkenntnisz des An—sich oder Absoluten für den Menschen ewig unmöglich; wir können nur von unsern Wissen wissen, nur von diesem als dem unsrigen ausgehen, und eben so nur in demselben verbleiben; die Natur sey eine leere Objektivität, blosse Sinnenwelt; sie bestehe allein in Affectionen unsres Ich, beruhe auf unbegreiflichen Schranken, in die sich dieses eingeschlossen fühlt, sie sey wesentlich vernunftlos, unheilig, ungöttlich; allenthalben endlich und durchaus todt; die Basis aller Realität, aller Erkenntnisz sey die persönliche Freiheit des Menschen; das Göttliche könne nur geglaubt, nicht erkannt werden; auch dieser Glaube sey blosz moralischer Art, und so er mehr enthalte, als aus dem Moralbegriff gefolgert werden könne, sey er ungereimt, abgöttisch." Conf. etiam *G. W. F. Hegel*, *Differenz des Fichteschen und Schellingischen Systems*, Jenæ 1801. *Jacobi*, *l. c. p.* 260 sq. et *J. A. Wendel*, *Grundzüge und Kritik der Philosophien Kant's, Fichte's und Schelling's. pag.* 105. sqq.

neutra ratio probari potest. Si enim Subjectivum sit fons Objectivi, intelligi nequit, quomodo ab Uno, Simplici, Libero Ego proficisci potuerit Multiplex, Compositum, Necessarium, i. e. Natura, mundus objectivus. Sin contrarium statuatur, rursus repugnans est Unum, Simplex, Liberum natum esse ex Multiplici, Composito, Necessario. Ergo statui debet, esse aliquod principium, quod *nec subjectum sit nec objectum*, sed *utroque superius*, quodque utriusque communis fons sit (*p*). Illud principium *Schellingius* appellabat *Absolutum*, non absolutum Subjectum, nec absolutum Objectum, sed *Absolutum*, ut ille cogitasse videatur veterem *Anaximandrum*, qui *infinitatem* naturæ (τὸ ἄπειρον) dixit esse, e qua omnia gignerentur. Hoc Absolutum, *Schellingio* auctore, est *Deus*.

Hoc Absolutum sibi ipsi Subjectum et Objectum est, i. e. se ipsum intuetur, se ipsum cognoscit, estque illud Absolutum nihil aliud, quam absolutum *Cognoscere*. *Cogitare* et *Cogitatum* idem est, in cujus rei explicatione ipse *Schellingius* propter linguæ egestatem laborat (*q*). Ita fere, quemad-

---

(*p*) *Tenneman*, *Grundrisz. der Gesch. der Philos. p.* 347. sq.

(*q*) In libro: *Bruno, oder über das göttliche und natürliche Princip der Dinge:* ita loquitur *p.* 175. « Wer den Ausdruck fände für eine Thätigkeit, die so ruhig wie die

modum ait *Vogelius* (*r*), res intelligenda est, ut *Cogitare* sit Archetypum, et *Cogitatum* Ectypum, in quo Archetypum se effingat. Archetypum et Ectypum sunt Unum Idemque, ita fere sicut mea in speculum Inspectio eadem esset, quæ Imago mei in speculo, si hæc Imago non per lucis receptionem ac repercussum, sed per solam Inspectionem efficeretur. Hoc si fieri posset, Inspectio eadem esset, quæ Imago, atque Imago tantum forma esset Inspectionis. Similiter fere in Absoluto Cogitare idem est quod Cogitatum. Hoc tantum est forma illius.

Sic igitur duplex est Absolutum, sive potius, unum idemque Absolutum duplici ratione considerari potest, vel ut Archetypum vel ut Ectypum. Hoc Ectypum ex eo oritur, quod Archetypum se ipsum intuetur, quodque aliter se intueri, i. e. se cognoscere non potest, nisi ipsum sibi objectum sit. Illa autem, ut ita dixerim, sui intuitio, illa effictio sui fieri non potest, nisi in *Ideis*, quæ sunt Ectypa Absoluti. Illa vero Ectypa, illæ Ideæ,

---

tiefste Ruhe, für eine Ruhe, die so thätig wie die höchste Thätigkeit, würde sich einigermaszen in Begriffen der Natur des Vollkommensten annähern." Vid. *Vogel*, *über die Schellingsche Religionslehre:* in *Gableri Journal für auserl. theol. Literat. Tom.* V. *P.* I. *p.* 8.

(*r*) In *Gabl. Journ.* l. c.

non aliquando *factæ* sunt, non *excogitatae*, sed sunt *aeternae* Absoluti formæ.

Complexus omnium harum Idearum est Universum, est Mundus, qualis *per se* est, non *qualis nobis apparet.* Mundus igitur est universale Ectypum Absoluti, atque alterum Absolutum. Ideæ autem *singulares* sunt *res individuae*, quæ sunt variæ formæ, varia simulacra Absoluti, in quibus hoc se variis modis effingit, ut in aliis *Cogitare*, in aliis *Esse* magis emineat, in aliis utriusque cernatur æquabilitas ac proportio (*s*). Ne autem cui mirum videatur, quî illæ Ideæ *res*, i. e. substantiæ esse possint, tenendum est, Absolutum suam illis *Substantialitatem* impertiri, qua communicatione ipsæ Substantiæ fiunt. Eatenus igitur sunt substantiæ, quatenus participes sunt Absoluti. Quas autem nos vulgo substantias, sive *realia*, appellamus, sunt tantum *phaenomena;* ectypa quidem Absoluti, sed non quemadmodem *per se* sunt, sed quemadmodum nobis *apparent.* Res tantum *sunt*, quatenus sunt in Absoluto; ut nobis apparent, ne *Esse* quidem dici possunt (*t*). Itaque quoniam omnium rerum Essentia in Absolutum, tamquam

---

(*s*) *Klein*, *Beyträge zum Studium der Philosophie als einer Wissenschaft des All* cet. *p.* 350. sqq. *Vogel*, *l. c*, *p.* 10.

(*t*) Inter Schellingianum et Fichtianum Idealismum quid intersit, vid. *Flattii Magaz. Part.* XI. *p.* 153.

in Oceanum, confluit, et quoniam Absolutum suam Essentiam cum iis communicat, iisque inter se communem Essentiam impertit; omnia *eadem* sint necesse est, archetypum, ectypum, ideæ sive res singulares: quam ob causam *Schellingii* doctrina appellatur *Philosophia Identitatis.* Quod autem nos res a se invicem distinguimus, alias aliis opponimus, earumque diversa genera, diversasque species constituimus, facimus ita, quia res sic nobis *apparent:* ut *per se* sunt, nulla est diversitas (*u*).

Itaque nostrum quoque *Ego*, non vulgare illud et empiricum, sed verum nostrum *Ego*, ut ceteræ res singulares, Idea est Absoluti, cui hoc *Substantialitatem* tribuit: quo fit, ut Ego eatenus sub-

---

(*u*) *Köppen*, libro citato, *p.* 130. sq. aliquam seriem confecit rerum, quæ a *Schellingio* diserte pro *iisdem* habentur. Ecce illum catalogum. Esse et non esse — possibilitas et realitas — infinitum et finitum — cogitare et intueri — notiones rerum *non* existentium et existentium — ideale et reale — essentia et forma — cogitare et esse — pura et empirica conscientia sui — ego et non-ego — universale et particulare — subjectivum et objectivum — animus et corpus — animus, mundus, Deus — materia et forma — actio et esse — cognoscere et esse — gravitas et intuitio — tempus et spatium — actio et quies — natura determinans et determinabilis — velle et cogitare — pulcritudo et veritas — philosophia et poësis — cogitare et extensio — quantitas et qualitas — conscium esse sibi et inscium — legalitas et libertas.

stantia sit, quatenus sit in Absoluto. Sed nos, per errorem, nostrum Ego considerare solemus, tamquam *perfectam*, ut ita dicam, et *consummatam* substantiam, i. e. quæ ex omni parte *per se* subsistat, cum Absoluto nihil commune habeat. Ista opinio, nostrum Ego *per se* esse substantiam, non vero in Absoluto, oritur ex *defectione* (Abfall) Idearum ab Absoluto. Scilicet Absolutum cum se intuetur et effingit in Ideis, in *duo* veluti diducitur, quorum alterum Archetypum, alterum Ectypum appellavimus. Hac autem duplicatione fit, ut hoc Ectypum, hoc alterum Absolutum, atque Ideæ singulares, quæ eo continentur, ab Absoluto *se sejungant ac deficiant.* Hoc autem alterum et, ut ita dixerim, secundarium: quamquam vis vocis non urgenda est: hoc igitur alterum Absolutum *vere* subsistit, ac *vere* liberum est, quatenus est, in ideali illo ac primario Absoluto. Sed quatenus *sibi* subsistit, ac *sibi*, i. e. non in Absoluto, liberum est, eatenus *separat se ac deficit* ab Absoluto, i. e. *nihil* fit. Nam illud *subsistere ac liberum esse*, *separatum ab Absoluto*, *Nihil* est, *apparens tantum est.*

Magnus igitur opinionis error est, quod nostrum Ego consideramus, tamquam *substantiam*, ab Absoluto sejunctam, quodque libertatem nobis vindicamus, quæ potius est absentia, i. e. negatio, privatio libertatis, separatam illam a *vera* libertate, quæ in Absoluto inest, quæque nihil aliud est,

quam Absoluta Necessitas. Quam perniciosa ista nostra opinio sit, ex eo intelligi potest, quod ab hoc errore, tamquam a fonte, multi alii errores manant (*v*). Cum enim per illam ab Absoluto defectionem nos *individuas substantias* nos esse arbitramur, ita agimus, quasi liberi simus, cum tamen subjecti simus empiricæ necessitati, i. e. quæ in mundo sensibili ex causarum et effectuum copulatione oritur. Itaque multum fallimur. Sive autem sensibilis nostræ naturæ impulsioni obtemperemus, sive intellectûs notiones sequamur, perverse agimus. In utraque enim ratione sumitur, nos *per nos* existere, nec pendere ex Absoluto. Quamquam autem perverse agimus, vacamus tamen culpa. Cum enim in hoc defectionis statu empirica necessitate obstricti simus, aliter agere *non possumus* (*w*).

Absolutum illud cognoscere possumus, non rationis argumentatione et conclusione, sed, ut *Schellingius* ait, *immediata et intellectuali intuitione Absoluti*, i. e. *Dei* (*x*). Neque aliter statuere poterat, ut ex iis, quæ jam diximus, intelligi potest.

(*v*) Hæc opinio *Vitiositas originalis* appellatur a Schellingianis. Conf. *P. B. Zimmer*, in libro mox laud. *p.* 23. sq.

(*w*) *Vogel*, l. c. *p.* 15. sqq.

(*x*) Vid. *Schellingii Bruno p.* 182. sq. 215 sq. *Neue Zeitschrift*, *Part.* I. *p.* 5. sqq. et al.

Cum enim argumentamur, hoc sumimus, nos, quatenus defecimus ab Absoluto, *vere* subsistere, i. e. nostrum empiricum Ego esse veram per se substantiam, cum tantum phænomenon sit. Quandoquidem igitur ipsa illa assumtio falsa est, fieri non potest, ut conclusione, quæ ab illa ducitur, verum reperiatur. Itaque Absolutum cognoscere debemus, quatenus ipsi in Absoluto sumus, non quatenus ab eo defecimus. Cum igitur, ut vidimus, Absolutum se ipsum intueatur, i. e. cognoscat, neque alia Absoluti cognitio esse possit, quam *immediata intuitio*, sequitur hac unâ viâ nos ad Absoluti cognitionem pervenire posse. Est autem illa intuitio supra omnem demonstrationem posita (*y*).

Sicut illa ab Absoluto defectio ac perseverantia in defectione *peccatum* (immoralitas) est, ita vera *virtus* (moralitas) est illius peccati expiatio, quæ fit per abjectionem empirici nostri Ego, ac per reditum in Absolutum, a quo defecimus. Hoc est *conciliari Deo et cum eo in gratiam redire* (*z*).

Hæc de *Schellingio*, cujus ego doctrinam, etsi minime probo, tamen haud uno nomine *Fichtia-*

(*y*) Vid. *P. B. Zimmer*, *Philos. Untersuch. über den allgem. Verfall des menschl. Geschlechtes*, *Tom.* I. *p.* 21. sqq.

(*z*) *Schelling*, *Philosophie und Religion*, *p.* 44.

nae multum anteponendam censeo. Certe neminem, qui utramque doctrinam inter se comparaverit, negaturum esse arbitror, *Schellingii* rationem, etsi identidem ab auctore immutatam, tamen multo melius, quam Fichtianam, sibi constare et consentaneam esse. Virtuti autem ac religioni utrum prosit an obsit, Capite proxime sequenti explicabimus. Nunc de Mysticismo Schellingiano dicamus. Et cum ante ostenderimus, qualis sit Kantianæ et Fichtianæ doctrinæ cum Mysticismo conjunctio, cumque nunc ostendendum sit, Schellingianæ etiam arctiorem cum eo necessitudinem intercedere, quin ipsam hanc doctrinam per se esse Mysticam, ita hanc causam optime acturi esse videmur, si Schellingianam philosophandi rationem cum *Kantii* ac *Fichtii* doctrina comparaverimus, ut appareat, quæ in horum philosophia superessent impedimenta, quominus ex ea Mysticismus gigneretur et efflorescceret, illa prorsus esse a *Schellingio* sublata.

Primum igitur hoc animadvertimus, *Kantii* ac *Fichtii* doctrinam universam ita esse comparatam, ut homines tam a Mysticismo cohibere et abducere, quam ad eum invitare et adducere possit. Qui enim Mysticismi indolem vel ex aliqua parte cognitam habeat, is facile intelligat, illam, de qua diximus, *terminorum*, quibus sepiamur, positionem minime prodesse Mysticismo, quippe qui suapte naturâ in infinitatem tendat, ac liberâ agitatione

delectetur (*a*). *Kantius* omnem scientiam nostram ad Experientiam, i. e. ad mundum sensibilem revocat, *Fichtius* in Non-Ego, tamquam in carcerem, nos includit. Quidquid extra hos terminos positum est, *fidei* est, non *scientiae*, argumentum, inprimis si *Kantium* audias. Quid ergo, si quis illos terminos migrare recuset? si eam doctrinæ partem probet, quæ est de *scientia*, improbet illam, quæ de *fide* agit? Quid si, cum utramque partem probet, tamen: est enim magna ingeniorum diversitas: suâ ipse naturâ et indole eo feratur, ut in *scientiae* potius, quam in *fidei* imperio habitet, illam potius quam hanc curet? Non quod ita fieri *necessario debeat*, sed quod ita fieri *possit*, atque sæpe factum esse constet. *Potest* igitur ea, quæ *Schellingii* rationem proxime antecessit, philosophorum doctrina ita adhiberi, ut ratio *theoretica* potius, quam *practica*, curetur. Quod si fiat, eo illud necessario valere, ut *sensus* infirmetur ac deprimatur, in Prolegomenis docuimus. — Sed negligamus etiam rationem *theoreticam*: omnem curam, studium, cogitationem convertamus in dissitas illas et ab intelligentia humana remotas regiones: hoc assentiamur philosophis,

---

(*a*) Conf. *Vater*, *über Mysticismus und Protestantismus*, in *Königsberger Archiv. für Philosophie*, *Theologie*, cet. *Part.* III. 387. sq. 1812.

nullam nobis esse rerum intelligibilium scientiam, ratione theoreticâ partam; omnem rem in *fide* versari, nixâ illâ aut, ut *Kantius* ait, Postulato Rationis Practicæ, aut, ut *Fichtius*, internâ animi persuasione, et veluti conscientiâ Dei, quæ nobis insit. Hoc igitur assentiamur. Quid ergo? Hæc sententia, quæ tantopere favere Mysticismo videatur, nonne eadem eo valere *potest*, ut ne religio, nedum Mysticismus, relinquatur? *Kantius* quid de religione senserit, neque mei arbitrii est, judicare, neque hujus scriptionis, explicare. Illud autem verissime mihi affirmare videor, magnum Virum ita plus semel de Deo disserere, *ac si, utrum sit, nec ne, dubitaverit* (*b*). Alii ejus sententiam ita interpretantur, ut *omnino dubitavisse* censeatur (*c*). Aliis etiam *penitus sustulisse* Deum immortalem videtur (*d*). Quod cuicuimodi sit, illud certe intelligitur tantum abesse, ut *Kantii* doctrina necessario ad Mysticismum nos perducat, ut eam pari

---

(*b*) Notabilis locus exstat in *Kantii* libro: *Metaphys. Anfangsgr. der Tugendlehre. p.* 180. » In der That mögen al» le redlich und zugleich mit Besonnenheit abgelegte Eide in » keinem andern als in dem Sinn abgelegt worden seyn, da » man nur *auf den Fall*, das ein Gott sey, schwört.''

(*c*) Vid. *Forbergii disp.* in *Fichtii et Niethommeri Philos. Journ.* 1798. *Part.* I. *p.* 21. sqq.

(*d*) Ut nuper *Bachmanno*, in libro: *Ueber die Philosophie meiner Zeit.*

jure in religionis contemtum interpretari possimus. Quid *Fichtius?* Hunc si audiamus, nihil firmius est, nihil certius religione, quippe in ipsâ hominum naturâ fundatâ, ac supra omnem demonstrationem positâ. Sed qualem ille Deum inducat, supra vidimus. Hoc Deo si quis contentus sit, ac serio credat, nullum alium Deum aut esse, aut posse esse, quam Fichtianum illum Ordinem Moralem, næ is prope Mysticismum sit: arcte enim cum Deo *conjunctus* et, ut ita dixerim, particeps Dei sit. *Fichtius* vero nomine reliquisse, re sustulisse Deum videtur. Neque enim, quo philosophus probet, se *Deum esse*, credere, satis est, Dei *nomen* crebro in ore habere. Quidni enim Casus, Fortuna, Fatum, eodem jure atque Ordo Moralis, *Deus* dicatur? Neque adduci possum, ut aut *Fichtium*, aut aliquem ejus sectatorum serio umquam de Deo locutum esse, credam. Sed illud rursus quomodocunque se habeat, Germaniæ clamores testantur, sensu communi Atheum judicatum esse *Fichtium*. Nolumus litigare. Hoc dicimus, ut *Kantii*, sic etiam *Fichtii* doctrinam tam ad evertendam religionem, quam ad Mysticismum adjuvandum, adhiberi posse. Consentaneum est huic doctrinæ, Mysticismum sequi, sed magis consentaneum, omnem religionem tollere.

Longe alia est, ut vidimus, *Schellingii* ratio. Quid rationis theoreticæ ope de Deo rebusque divinis scire possimus, quid illa ratio ignoret, sint

termini, ubi sint, quid non ad scientiam, sed ad fidem pertineat; omnes quidem istæ quæstiones, si *Schellingium* sequare, ne vim quidem aliquam aut significationem habent. Et quomodocumque ad illas quæstiones respondendum putaveris, nihil ad religionis causam. Non enim ratione aut theoreticâ aut practicâ, sed *intuitione* (absolutâ, immediatâ, intellectuali) comparatur Dei cognitio. Continuo a *Schellingio* in media infinitate collocamur, nullis terminis circumscripti: quam libertatem Mysticismus sectari solet. Hanc autem infinitatem, hoc Absolutum, si ratione theoreticâ comprehendere possemus ac deberemus et re vera comprehenderemus, ea ipsa rationis præstantia *sensum* opprimeret ac Mysticismo inimica esset. Sed, ut diximus, *intuemur* Absolutum, quod ipsum *intuendi* vocabulum, a visûs *sensu* ductum, hujus doctrinæ cum Mysticismo necessitudinem declarat. Neque ut *Kantii* ac *Fichtii*, sic *Schellingii* doctrina ad religionis eversionem converti potest. Si enim dixerim: *Absolutum*, i. e. *Deus non est:* nihil dixerim. Nam *Esse* et *Non esse* prorsus *idem* sunt, cum nulla sit in Absoluto contrariarum rerum oppositio (*e*). Præterea, illud enunciatum de Existentia Absoluti, aut Non-existentia nihili est. Sive enim rationis theoreticæ, sive practicæ, enunciatum sit,

---

(*e*) *Bruno*, *p.* 69.

Deum non esse, una vera ratio absoluta est, partitio autem rationis ejusque, ut ita dicam, genera *nihil* sunt. Quin ipsum illud, quod judicat et enunciat, individuum nostrum et empiricum Ego, *nihil* est. Et ne quis nobis *Spinozam* objiciat, qui cum, ut *Schellingius*, eam doctrinam, quæ *Pantheismus* dicitur, commendavisset, *Atheus* habitus sit: hoc autem magno argumento esse, eam doctrinam, communi hominum judicio, religioni noxiam esse, eamque penitus tollere: ita igitur ne quis dicat, animadvertenda est utriusque sententiæ diversitas. *Spinoza* Deum tollere dicebatur, quod ille Deum prorsus eundem esse ac mundum, singulas autem res tantum esse Modificationes censeret unius ejusdemque Substantiæ, cujus natura esset infinita et *Cogitatio* et *Extensio*. Judicabat igitur, mundum ac res singulas, ut *appareant*, ita *esse per se*. Quo fiebat, ut divinæ naturæ multa tribuere videretur, quæ Deo prorsus essent indigna, mala physica ac moralia. *Schellingius* contra mundum sensibilem *Nihil* esse statuit, *Negationem* Dei, Defectionem ab *Absoluto*. Mundus igitur, ut nobis apparet, est Non-Deus, Non-Absolutum, Nihil est. Mundus *esse* tantum dici potest, quatenus est in Absoluto, i. e. quatenus nobis *non* apparet. Ex quo intelligitur, *Spinozae* ac *Schellingii* prorsus disparem esse causam (*f*): quamquam aliis nomini-

(*f*) Non igitur, ut sæpe fit, vocabulis *Spinozismi* et *Pan-*

bus rursus magna est utriusque doctrinæ convenientia (*g*).

Deinde: cum Mysticismi consilium sit *conjungi cum Deo*, huic autem conjunctioni, ut in Prolegomenis animadvertimus, nihil magis obsit, quam *mundus sensibilis*, qui, tamquam agger aliquis, inter Deum et humanum genus interjectus est, hoc impedimentum *Kantius* et *Fichtius* reliquerunt, nec sustulerunt. Et *Kantius* quidem, quanto intervallo mundum sensibilem ab intelligibili sejungat, quis tandem est, qui ignoret (*h*)? Assignavit nobis *Intuitiones*, assignavit *Categorias*, quibus ita adstricti simus, ut iis nos solvere easque exuere nequeamus. Et tamen, nisi exuantur, nulla

---

theismi eadem semper subjicienda vis est. *Schellingius* in libro: *Philos. und Rel. p.* 52. se *Pantheistam* esse, vehementer negat. Idem negat Anonymus in libro: *Betracht. über den gegenwärtigen Zustand der Philosophie*, cet. *p.* 141. Nuremb. 1813. Recte quidem, si hæc vox idem sonet, quod *Spinozista*; multum enim interest. Conf. *Medic. Jahrb.* I. 1, 47. sqq. Est tamen *Schellingius Pantheista*, sed simul *Idealista*, quamquam rursus peculiari sensu. Ceterum de variis *Pantheismi* formis conf. *J. G. Buhle*, *Commentatio de ortu et progressu Pantheismi*, *inde a Xenophane primo ejus auctore usque ad Spinozam.* Gott. 1790.

(*g*) Vid. *Grundzüge der Theologie des Spinoza*: in *Ammon. Krit. Journal der neusten theol. Literat. Tom.* I. *Part.* I. *p.* 1. sqq.

(*h*) *C. Garve*, *Oordeelk. besch. van de Stelsels van Zedekunde* cet. *p.* 352. sqq.

est rerum, quales *per se* sint, i. e. intelligibilium, scientia. Qualis tandem quantaque ista utriusque mundi a se invicem disjunctio est! Similiter *Fichtius* nos terminis, quos ille *Non-Ego* appellat, circumscribit, qui termini inter finitum nostrum Ego et absolutum Ego interpositi sint, quibusque alterum ab altero *separetur*. Hanc separationem, quam *Kantius* ac *Fichtius* inducunt, Schellingiana schola ignorat, quippe quæ doceat, quicquid Absolutum inter et nos interjacere videatur, prorsus *nihil* esse; Deum esse Unum et Omnia; quicquid extra Deum sit, ne *esse* quidem. *Nihil* autem non potest esse impedimentum conjunctionis.

Porro: ne quis nobis ita occurrat, ut non tantum *Fichtium*, verum etiam, si *Jacobium* audias, ipsum *Kantium* fuisse Idealistam, dicat, itaque per horum non minus, quam per *Schellingii* doctrinam, mundum sensibilem pro *nihilo* haberi; paucis, quid intersit, explicandum est. Ad *Kantium* quod attinet, non ausim de *Jacobii* sententia judicare, neque necesse est, ut judicem. *Jacobius* enim non tam id efficere voluit, *Kantium* scientem ac volentem sustulisse mundum sensibilem, quam potius eum, si constitisset sibi et consentaneus fuisset, tollere mundum adspectabilem debuisse. *Fichtius* certe *Kantium* non putavit in Idealistarum numero esse habendum. Nam eam ipsam ob causam a *Kantii* sententia discessit, quod hic aliter, quam Idealismi armis, Scepticorum vim infringi posse

existimavisset. Sed esto: fuerit *Kantius* Idealista; non tamen continuo cum Deo nos conjungit. Et nos *personas* esse statuit, et Deum esse naturam, *a nobis secretam.* Idem in *Fichtium* convenit, qui quamvis mundum penitus sustulit, atque finitum Ego tantum ortum esse ex limitatione absoluti Ego, contendit, tamen, ut mox videbimus, de his terminis, quorum ipse naturam se non intelligere fatetur, ita loquitur, quasi *non sint Nihil*, i. e. *quasi sint aliquid positivi*, atque de nobis ita loquitur, quasi simus *veræ personæ*, per nos subsistentes, atque illis terminis ab Absoluto disjunctæ. Itaque neque *Kantii* neque *Fichtii* Idealismus per se affert conjunctionem cum Deo necessariam, neque efficit, ut, qui mundum sensibilem ita, ut illi volunt, tollat, is continuo *inter se et Deum nihil interesse*, existimare debeat. Nam hoc ipsum: *duo esse:* hæc ipsa δυὰς, quam *dualitatem* appellemus, si placet, *diversitatis* notionem continet. Ut verbo dicamus: *Kantius* et *Fichtius* si Idealistæ sunt, non etiam continuo sunt Pantheistæ, neque, si mundum pro nihilo habent, nos etiam, i. e. *nostram personalitatem*, exstingui volunt et tamquam ab Absoluto absorberi. De *Kantio* res satis nota est, neque de *Fichtio* ulla potest esse dubitatio. Is enim, cum mundum tollit, relinquit tamen Non-ego, i. e. terminos, quibus finitum Ego sepiatur. Isti termini, qualescunque tandem sint: nam ipse *Fichtius* ignorat: quo-

modocumque appellentur, etiamsi *Nihil* appellentur: isti tamen termini hanc vim habent, atque ipse philosophus hanc iis vim tribuit, ut *aliud* esse finitum Ego, *aliud* infinitum sive absolutum, efficiant. Quid contra *Schellingius?* Idem et Idealista est et Pantheista. Non tantum mundum sensibilem, verum etiam finitum Ego, quatenus persona est ab Absoluto diversa, *nihil* esse, contendit. Itaque nulla est disjunctio, neque esse potest. Quatenus sumus, in Absoluto sumus: quatenus non sumus in Absoluto, i. e. quatenus naturæ individuæ, sive personæ esse *videmur*, ab Absoluto sejunctæ, ne *sumus* quidem. Neque illâ, de qua diximus, defectione fieri potest, ut ex Absoluto excidamus. Ipsa illa defectio nihil est, neque minus in Absoluto sumus ac manemus, quam si numquam defecissemus: ut nostra cum divinâ naturâ necessitudo non tam *conjunctio* dici debeat, quam potius, ut *Schellingianum* vocabulum ponam, *Identitas*.

Denique, ad unum *Fichtium* quod attinet: nam Kantianæ doctrinæ pars practica nullam habet Mysticismi commendationem, si de conjunctione cum Deo, *proprie ita dicta*, loquamur: magni ponderis est animadvertisse, quæ Fichtianæ pars philosophiæ magnam vim habet ad pariundum Mysticismum, eandem etiam ita spectari ac considerari posse, ut maxime obesse Mysticismo videatur. Duplex Mysticorum veluti conditio est: alii in illam cum Deo conjunctionem *adhuc enituntur*, alii eam *sunt jam*

adepti: quorum illi cum nascentibus, hi cum adultis comparari possunt: atque ut adultorum ætas firma ac perfecta, infantum infirma et inchoata est, sic illius conjunctionis affectatio tantum principium est, ejus vero adeptio, apex Mysticismi. Intelligitur autem, eos, qui illam conjunctionem nondum assecuti sint, et adhuc veluti adolescant, tamen ita sibi persuadere, se, quo tendant, eo aliquando esse perventuros, certe pervenire *posse*. Nisi enim ita sibi persuaderent, aut illam ad Deum viam non ingrederentur, aut ingressi relinquerent. Sic se habet Fichtiana doctrina. Eodem dogmate jubemur *conari*, quo *desperare* jubemur. Monet enim *Fichtius*, ut omnia studia nostra omnesque cogitationes eo conferamus, ut illi termini (i. e. Non-Ego), quibus finitum nostrum Ego cingatur, tollantur. Vult igitur, ut unumquodque singulare Ego ex angustiis suis se educat, atque sic absolutum Ego, limitatione veluti divisum, restituatur. Itaque tendere debemus in Absolutum, i. e. in Deum: quæ est aperta ad Mysticismum cohortatio. Sed *Fichtius*, cum alterâ nos manu *impellit*, alterâ rursus *retinet*. Dicit enim, terminos illos proferri posse, tolli non posse: nam finitum numquam fieri posse infinitum. Itaque, qui modo illius conjunctionis spem ostenderat, idem rursus desperationem facit. Fieri igitur ex *Fichtii* sententia non potest, ut perfectus ille et, ut ita dixerim, adultus Mysticismus, qui conjunctione cum Deo con-

tinetur, umquam existat. Affectare illam conjunctionem possumus (*i*), assequi non possumus. (*k*).

(*i*) Neque *possumus* tantum, sed etiam *debemus*; atque ita *oportet*. Fatendum igitur, in *Fichtium* ejusque sectatores proprie non convenire, quod paulo ante diximus, homines ad illam cum Deo conjunctionem non adspiraturos esse, si existimarent, se numquam, quo tenderent, esse perventuros aut pervenire *posse*. *Fichtius* enim cum illos terminos (illud Non-Ego) tollere jubet, est hoc præceptum *postulatum* rationis practicæ, atque nititur conscientiâ officii. Non ille quærit, quid fieri *per ipsius rei naturam possit*, aut quid aliquando futurum sit, sed quid conari *per conscientiæ auctoritatem debeamus?* Per hanc auctoritatem non licet a conatu desistere, etsi scimus numquam nos propositum esse assecuturos. Quemadmodum autem

Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina;

nec tamen assequitur, quoniam

Perit unda in ore:

sic qui *Fichtium* sequuntur, tendunt ad Mysticismum, numquam perveniunt. Et quemadmodum Tantali, quamquam aqua circumfusi, non magis expletur sitis, quam si in Libyæ arenis jaceret, sic qui cum Deo conjungi *conantur*, numquam vero conjunguntur, a perfecto Mysticismo tantum absunt, quantum si omnino ne conati quidem fuissent. Scilicet

Poma destituunt famem.

(*k*) Diximus supra, *Kantii* doctrinam practicam, quæ, quid *agere* debeamus, docet, nihil habere cum Mysticismo commune, nisi forte eam, de qua loquimur, *conjunctionem* cum

Ab hac Fichtiana doctrina quantopere *Schellingii* sententia discedat, facile intelligitur. Proprie ne cadit quidem in *Schellingii* doctrinam quæstio, possimusne cum Deo *conjungi?* Numquam enim disjuncti fuimus ab Absoluto, neque propter illam defectionem minus sumus in Absoluto, quam si numquam fuisset descitum: i. e. animi natura, *qualis est per se*, nihil prorsus per illam defectionem immutatur aut immutata est (*l*). Sin vero ad *Schellingii* sententiam accommodate de *conjunctione cum Deo*, i. e. ut ille loquitur, de *conciliatio-*

Deo hoc sensu accipere placeat, ut sit *similitudo cum Deo*, cujus ea vis sit, ut voluntas nostra cum divinâ voluntate consentiat, utque ad Dei exemplum *sancti* simus. Ad hanc *sanctitatem Kantius* nos quidem adspirare jubet. Sed neque hæc est illa cum Deo conjunctio, quam Mystici quærunt, neque peculiaris *Kantii* doctrina, sed communis omnium philosophorum, qui quidem de virtute recte sentiant. Sed esto. Appelletur illa cum Deo similitudo *Mysticismus*. Prorsus idem in *Kantium* convenit, quod de *Fichtio* diximus. Cum enim id nos agere jubet, ut illam sanctitatem persequamur, simul negat, nos umquam esse eam assecuturos, aut assequi posse. Atque hæc ipsa eum causa inducit, ut animos esse immortales ponat. *Infinitam* enim esse debere ad illam sanctitatem accessionem, quæ accessio immortalitatem requirat. Itaque idem, qui nos impellit, rursus repellit.

(*l*) » Da aber das Ich in der That und Wahrheit nur in Absoluten ist: so ist auch seine Versöhnung mit dem Absoluten so ewig als sein Abfall; sie liegt in seinem Wesen, wie dieser in seiner Form der Selbständigkeit." *Vogel*, *l. c. p.* 14.

nè quæratur, sive de *reditu in gratiam cum Deo*, est hæc quæstio ita interpretanda, num ille status defectionis desinere aliquando queat? num *apparens* illa substantia, quem *animum* appellamus, tamquam *individua* natura, evanescere, atque in Absolutum, tamquam in centrum suum, redire possit (*m*)? Hac de re autem adeo non dubitat *Schellingius*, ut sola ejus explicatione contentus sit, demonstrationem ne curet quidem (*n*).

Quæ cum ita sint, cuique perspicuum esse arbitror, Mysticismum ita esse cum Schellingiana doctrina conjunctum, ut ab ea divelli nequeat. Nam quod hanc causam per aliquam Kantianæ ac Fichtianæ cum *Schellingii* philosophia comparationem persecuti sumus, ita fecimus non tam, ut intelligeretur, hanc *magis*, quam utramque illam, Mysticismo favere, sed potius, ut hac comparatione planum faceremus, nullam esse doctrinæ Schellingianæ partem, quæ Mysticismo obesset, sed potius, eam universam ita esse comparatam, ut Mysticismus non posset ex ea non prodire. Quod quo magis etiam appareat, ea, quæ diximus, historiæ

(*m*) *Schelling*, ***Philos. und Rel.*** *p.* 68. sqq. 72.

(*n*) *Philos. und Rel. p.* 44. » Durch die Ablegung der Selbstheit und die Rückkehr in ihre ideale Einheit gelangt die Seele wieder dazu Göttliches anzuschauen, und Absolutes zu produciren.''

auctoritate confirmemus. Utemur autem duplici testimonio.

Prius testimonium positum est in Schellingianæ doctrinæ cum Neoplatonicorum philosophiâ similitudine. Quam similitudinem si hic copiose persequi vellemus, prorsus essent hujus scriptionis termini migrandi. Neque vero in historia philosophiæ adeo quis facile hospes sit, quin hanc utriusque doctrinæ convenientiam animadvertat. Itaque ut rem notissimam, ponimus potius, quam docemus, etsi *Schellingii* doctrina non sit omnino eadem, quæ Neoplatonicorum (*o*), tamen utramque doctrinam præcipua dogmata, e quibus Mysticismus efflorescat, communia habere; neque igitur mirum cuiquam videri posse, si utraque doctrina magnum Mysticorum proventum tulerit (*p*). Omnino magna consensio est. Quid? quod eædem fere causæ sunt? Nam de ceteris causis ne dicamus, quis nescit, ut sceptica *Humii* subtilitas novam hanc philosophandi rationem attulit, sic Neoplatonicis quoque doctrinæ novæ ansam dedisse

---

(*o*) *G. W. Gerlach*, *Disputatio de differentia*, *quæ inter Plotini et Schellingii doctrinam de numine summo intercedit*. Viteb. 1811. Loquitur enim res ipsa, unice hic nobis sermonem esse de doctrina religionis.

(*p*) *C. Meiners*, *Beytrag zur Gesch. der Denkart der ersten Jahrhunderte nach Christi Geburt*, *in einig. Betracht. über die Neuplaton. Phil.* Lips. 1782.

Scepticos, veterem illam Academicorum consuetudinem quodammodo instaurantes, *Aenesidemum*, *Agrippam*, *Menodotum*, *Sextum Empiricum*, alios? Jam ipsorum placitorum convenientiam quid persequar? Ceteros ne commemoremus, *Potamonem*, *Ammonium*, *Porphyrium*, *Jamblichum*, *Proclum*, alios, unus audiatur *Plotinus*, qui novæ scholæ princeps fuit. Is igitur, prorsus ut *Schellingius*, omnis philosophiæ principium ponit Absolutum, quod prorsus Unum et Simplex sit, nec Objectum, nec Ratio sit, neque moveatur, neque quiescat, neque in tempore neque in spatio sit, quantitate, qualitate, omni omnino Prædicato careat, non Substantia, non Cogitans aliquid, sed ipsum absolutum Esse et Cogitare (*q*). Ab hoc Absoluto profectum est non tantum quicquid *est*, verum etiam, quicquid *esse potest*; illud autem quod est, aut esse potest, non aliquando ortum est, sed ab omni æternitate fuit in Uno et Absoluto (*r*). Porro, ut *Schellingius*, sic *Plotinus*, urget *Identitatem*. Subjectum, Objectum, Cogitare, Cogitatum, Cogitans, eadem sunt. Tum uterque philosophus pariter negat cognosci posse Absolutum *meditatione*: nullam esse ejus cognitionem, nisi per *Intellectualem Intuitionem*, quam *Plotinus* παρουσίαν appellat, tam-

---

(*q*) *Ennead.* VI. 9. 1. sq.

(*r*) *Ennead.* V. 1. 6.

quam *præsentiam Absoluti* (*s*). Ad hanc autem Intuitionem ex *Plotini* sententia, requiritur animi ἄπλωσις, qua efficiatur ἕνωσις, *conjunctio* cum Absoluto (*t*).

(*s*) *Ennead.* VI. 9. 4. Narrat *Porphyrius* in *Vita Plotini Cap.* 37. revera *Plotinum* tantum profecisse, ut Deum quater intuitus fuerit: ἰφάνη αὐτῷ ἐκεῖνος ὁ μήτε μορφὴν μήτε τινὰ ἰδέαν ἔχων, ὑπὲρ δὲ νοῦν καὶ πᾶν τὸ νοητὸν ἱδρύμενος. Sed operæ pretium est totum *Porphyrii* locum apponere, quo melius etiam intelligatur, hæc *Plotini* et *Schellingii* doctrina quantam vim habeat ad pariundum Mysticismum, cujus præcipuum consilium esse diximus, *conjungi cum Deo.* Utemur autem Versione *Bruckeri*, *Hist. Crit. Philos. Tom.* II. *p.* 228. » Cum » enim *Plotinus* semper animo invigilaret, ut scilicet purus, » et erga divinam illam naturam amore accensus ex amara hu- » jus vitæ unda emergeret, hacque ratione hoc beato lumine » cum sæpe se ipsum attolleret tota mente ad Deum primum » mente superiorem, perque gradus Platonicos omnes adscen- » deret ad divina, ipsi protinus apparuit Deus ille nec for- » mam, nec ideam aliquam habens, sed super intellectum uni- » versumque intelligibile in se ipso consistens. Qua Dei sum- » mi apparitione ad philosophiæ suæ finem appropinquavit, » *qui erat Deo ubique præsenti conjungi*, quam etiam feli- » citatem quater consecutus est." Similiter de divini numinis et rerum intelligibilium *Intuitione* loquitur *Julianus*, *Orat.* VIII. *p.* 248 B. τῷ γὰρ τῷ κρείττονι (i. e. *Deo*) σύνεσμεν. καὶ ἀπὸ τὴν αἴσθησιν ἀποφυγόντα, καὶ διεστηκότα τῷ τόπῳ, μᾶλλον δὲ οὐδὲ δέόμενα τόπου, ὁρᾶν τε καὶ εἰρεῖν πεφύκαμεν, ὅσοις ἀξίως βεβίωται τῆς τοιαύτης θέας, ἐννοοῦντες αὐτὴν καὶ συναπτόμενοι. Conf. etiam, quæ de Pythagoreis narrat *Tiedemann*, *Geist der speculat. Philos.* Tom. I. *p.* 75 sq.

(*t*) Loca *Plotini* apposuit *W. Krug*, *Gesch. der Philos. alter Zeit*, *p.* 438, 440. Lips. 1815. Convenit illa ἄπλωσις

Alterum testimonium præbet omnium Mysticorum omnis ætatis consensio. Quod cum dicimus, hoc volumus, Mysticos solere de Deo, de Religione, de humani generis cum summo Numine necessitudine ita disserere, ut eorum oratio ex media *Schellingii* philosophia hausta videatur. Neque hoc mirum cuiquam videri debet. Variæ possunt esse Mysticismi causæ, varia, a quibus ducatur, principia, summa doctrinæ eadem est, idem consilium Mysticorum. Apponam aliquas Mysticorum sententias, tam aperte Schellingianæ doctrinæ consentaneas, ut vix aliqua interpretatione egere videantur, utque ipse *Schellingius*, etsi earum causas ac principia non probet, tamen recusare non possit, quo minus ipsis enunciatis assentiatur. Primum igitur absoluta illa *Identitas*, sive *Absolutum*, in quo nulla sit contrariarum rerum oppositio, quodque a *Schellingio* Deus appellatur, ita a *Dionysio Areopagita* informatur, ut ipsum *Schellingium* te audire putes. Deus, inquit (*u*), οὔτε ψυχή ἐστιν οὔτε νοῦς· οὔτε φαντασίαν, ἢ δόξαν, ἢ λόγον, ἢ νόησιν ἔχει· οὐδὲ λόγος ἐστὶν, οὔτε νόησις· οὐδὲ λέγεται, οὔτε νοεῖται· οὔτε ἀριθ-

---

cum *Schellingii*: *Ablegung der Selbstheit*, *Philos. und Rel. p.* 44. Sicut *Plotini* ἕνωσις eadem est, quæ *Schellingii*: *Versöhnung*.

(*u*) De *Myst. Theol. Cap.* V. *Opp. Tom.* II. *p.* 45.

μός ἐστιν οὔτε τάξις, οὔτε μέγεθος οὔτε σμικρότης, οὔτε ἰσότης οὔτε ἀνισότης, οὔτε ὁμοιότης ἢ ἀνομοιότης· οὔτε ἔστηκεν, οὔτε κινεῖται, οὔτε ἡσυχίαν ἄγει, οὔτε ἔχει δύναμιν, οὔτε δύναμίς ἐστιν, οὔτε φῶς· οὔτε ζῇ, οὔτε ζωή ἐστιν· οὐδὲ οὐσία ἐστὶν, οὔτε αἰὼν οὔτε χρόνος. — οὐδέ τι τῶν οὐκ ὄντων, οὐδέ τι τῶν ὄντων ἐστίν. Eodem modo plura persequitur: tandem ita concludit: ὑπὲρ πᾶσαν θέσιν ἐστὶν ἡ παντελὴς καὶ ἐνιαία τῶν πάντων αἰτία, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν ἀφαίρεσιν ἡ ὑπεροχὴ τοῦ πάντων ἁπλῶς ἀπολελυμένου, καὶ ἐπέκεινα τῶν ὅλων. Hoc autem Absolutum non *cognoscere* possumus, sed *intueri* debemus, qua intuitione Mysticus ἀπολύεται τῶν ὁρωμένων καὶ τῶν ὁρώντων, καὶ εἰς τὸν γνόφον τῆς ἀγνωσίας εἰσδύνει τὸν ὄντως μυστικὸν, καθ' ὃν ἀπομυεῖ πάσας τὰς γνωστικὰς ἀντιλήψεις, καὶ ἐν τῷ πάμπαν ἀναφεῖ καὶ ἀοράτῳ γίγνεται, πᾶς ὢν τοῦ πάντων ἐπέκεινα — τῷ παντελῶς ἀγνώστῳ, τῆς πάσης γνώσεως ἀνεργησίᾳ, κατὰ τὸ κρεῖττον ἑνούμενος, καὶ τῷ μηδὲν γινώσκειν, ὑπὲρ νοῦν γινώσκων (ν). *Dionysium* deni-

---

(ν) *Loc. cit. p.* 4. Atque eam ob causam *Corderius* etiam in *Isag. ad Mysticam Theol. Opp. Dionys. Tom.* II. *p.* XII. Theologiam Mysticam appellat *sapientiam experimentalem*, sive *sapidam scientiam.* Non enim, inquit, hæc Theologia est quædam otiosa sterilisve speculatio, sed *sapidissima Dei contemplatio.*

que, ut alios Mysticos, ad conjunctionem cum Deo adspirare, in *Prolegomenis* docuimus.

Non possumus omnia persequi (*w*). Sed quoniam in hac cum Deo conjunctione posita est arx Mysticismi, pauca adhuc celebrium Mysticorum loca apponamus, quibus de illa conjunctione sermo sit, quæque ad *Schellingii* doctrinam prorsus accommodata sint (*x*). *Dionysius* igitur *Carthusanus* ita loquitur (*y*): » Homo nihil fit: abit in » Deum, atque ita cum eo conjungitur, ut separari nequeat. Animus, postquam ex se ipse » exiit, a Deo absorbetur, deposito quicquid ipsi, tamquam rei creatæ, proprium est. Se ipse » amisit, nec amplius intelligit, se esse naturam » individuam, a Deo separatam, quandoquidem cum » Deo coalescit." Similiter *Taulerus* (*z*): » Omnia, inquit, quærunt originem, unde nata sunt, » atque omni virium contentione eo tendunt. Ho-

---

(*w*) Plura vid. apud *Staeudlinum*, *Gesch. der christl. Moral*, *p.* 144. sqq.

(*x*) Quæ afferemus *Dionysii Carthusani*, *Tauleri* ac *Bernierii* loca, ea exstant apud *Eberhardum*, in libro: *Geist des Urchristenth. Tom.* III. *p.* 289 sqq. Unde nos sumsimus ac latine vertimus.

(*y*) Apud *J. W. Jægerum*, *Examen Theol. Myst. p.* 246. Ceterum de hoc *Dionysio* copiose exposuit *Schroeckh*, *Kirchengesch. Tom.* XXXIV. *p.* 117. sqq.

(*z*) *Theol. Christ.* fol. 42.

» mines interno animi impetu omnes actiones suas » dirigunt ad radicem, unde ortæ sunt, eamque » diligentissime sectantur (*a*)." Et ne Christianorum tantum hæc doctrina propria esse videatur, idem Persarum Mysticismus est, teste *Bernierio* (*b*). » Deus, inquiunt, immensus oceanus est, cui in» finita multitudo lagenarum innatat, aquâ ex hoc » mari haustâ repletarum, quæque, cum rumpun» tur, oceano aquam reddunt, quæ cum illo, tam» quam pars cum toto, jungitur." Eadem sententia est, cum ita dicunt: » Deum ita genuisse ani» mos et corpora, ut aranea ex se ipsa telas expli» cet ac rursus in se retrahat." His locis ab *Eberhardo* positis similis est Theologiæ Mysticæ expli-

---

(*a*) Reliquam *Tauleriani* loci partem satis perspicue vertere non possum; itaque, quoniam *Tauleri* liber præsto non est, germanica ponam *Eberhardi* verba: » Sein Grund und sein Ende und seine » Seligkeit und unsre Seligkeit ist recht eine Seligkeit in ihm: » denn wir sind aus demselben Grund herausgeflossen mit al» lem dem, das wir sind; und darum gehören wir recht in » dasselbige Ende und denselben Grund." Eodem loco *Eberhardus* recte animadvertit, tantam esse Taulerianæ et Schellingianæ doctrinæ convenientiam, ut nihil fere discriminis intercedere videatur. Ita enim pergit: » Wollen sie das erste » Principium der neuesten Naturphilosophie hören? Hier ist » es: *In Gottes Einigkeit verlieret man wahrlich alle Man» nichfaltigkeit: Taul. l. c.* fol. 46.

(*b*) *Mém. sur l'emp. du Grand Mogol*, *p.* 202. sqq. Conf. *Zimmermam*, *over de Eenzaamheid. Tom.* II. *p.* 102.

catio apud *Poiretum* (c): » Verissimum quoque nec » minus evidens est *Deificationem* exprimi per » alium textum Paulinum, nimirum quum inquit, » 1 *Cor.* VI. 17: *Qui junctus aut unitus est Do-* » *mino*, UNUS SPIRITUS *cum Ipso est;* quemadmo- » dum etiam per illam *consummationem in unum* » a Christo Servatore memoratam, pariter ac per » verba S. Petri, eos nempe, qui evitarunt *corrup-* » *tionem et desideria mundi*, *fieri* PARTICIPES *Na-* » *turæ divinæ.* Sicut enim calefactio et participa- » tio caloris idem sunt, eodem modo *participatio* » *Naturæ divinæ* et *Deificatio* termini sunt æqui- » pollentes. — Quum S. Paulus inquit, *Gal.* II. » 20: *Vivo: attamen non ego: sed Christus in me;* » ecce terminum *Non-ego*, et Deum in loco istius » *Ego;* ecce illud: *meum ego est Deus:* S. Catha- » rinæ Genuensis. Quando ille Apostolus de semet- » ipso testatur, 2 *Cor.* XII. 11: *Nihil sum*, et, » de Jesu Christo, quod *se ipsum ad nihilum re-* » *degerit*, *Philipp.* II. 7. ecce *Nihilum* et *Annihi-* » *lationem.* Loci supra citati e Psalmis, Euangelio » et S. Paulo designant *Contemplationem* a parte » hominum, qui Deum intuentur: cet." Quæ qui- dem Mysticorum enunciata cum inter se conci-

---

(c) *Petri Poireti Idea Generalis Theol. Myst.* in *Biblioth. Mysticorum Sel. p.* 86. sq. coll. *Camp. Vitringd*, *Typus Theol. Pract. Præfat. p.* 12.

nunt, tum *Schellingii* sententiam ita explicant, ut ipse *Schellingius* melius explicare non posset (*d*).

(*d*) Quomodocunque illa *cum Deo conjunctio* explicetur, hæc omnium Mysticorum communis vox et sententia est, ad illam conjunctionem hoc etiam requiri, ut *depositâ ac veluti exutâ propriâ voluntate*, penitus nos divinæ voluntati subjiciamus, ut una sit eademque nostra atque divina voluntas. Sic *Poiretus l. c. p.* 89. » Nullibi, inquit, major comparet » *indifferentia*, quam illa Christi Domini Patri suo dicentis, » *Luc.* XXII. 42: *Non mea voluntas, sed tua;* neque major » *proprietatis rejectio*, quam in hac ipsa consummata resig- » natione, et quando vult, ut quilibet *propriam suam volun-* » *tatem abneget.*" Similiter Dna *De Staël Holstein*, in libro: *L'Allemagne*, *Tom.* III. *p.* 317: » L'opinion domi- » nante parmi les chrétiens mystiques, c'est que le seul hom- » mage, qui puisse plaire à Dieu, c'est celui de la volonté, » dont il a fait don à l'homme: quelle offrande plus désinté- » ressée pouvons-nous, en effet, présenter à la Divinité? Le » culte, l'encens, les hymnes ont presque toujours pour but » d'obtenir les prospérités de la terre, et c'est ainsi, que la » flatterie de ce monde entoure les monarques; mais se rési- » gner à la volonté de Dieu, ne vouloir rien que ce qu'il » veut, c'est l'acte religieux le plus pur, dont l'ame humaine » soit capable." Sic etiam *J. van Lodenstein*, mysticus poëta, sed idem vere pius nec cum recentioribus istis eodem loco habendus, *Uitspann.* I. *D. p.* 84. sq. *Hertesterkte in Jehovah*, ita canit:

't Scheen wat groots en van gewigt,
Weerdiger dan 't Zonneligt:
Maar het ziel verdervend *Eygen*
Was er in, end' ongezind

Nec tamen adhuc confecta res est. Recentioris Mysticismi eam causam explicuimus, quæ *Schellingio* cum reliquis Mysticis communis est, positam illam in singulari quadam *conjunctione* cum Numine supremo. Quamquam enim *Schellingius* illius conjunctionis notionem aliter informat, quam ceteri Mystici, neque eam, ut alii, ab animi quadam affectione divina ducit, tamen hoc ipsum, *conjunctum esse cum Deo*, quomodocunque tandem illa *Unio* se habeat, hoc ipsum, inquam, animum μυστικῶς afficit. Sed jam ad *Schellingii* rationem

---

Zig tot 't Heylzaam *Niet* te neygen,
Daar de Ziel maar ruste vind.
— — — — — — — —
Met in mijn gedagten schiet
't Eeuwig *Al*, en 't eyndloos *Niet*:
Alle *Eygen* te verzaken
Dat is nu mijn hoogst vermaaken.
— — — — — — — —
Ey! help mij het grondloos *Niet*
Zien, van al wat Schepsel hiet!

Jam quis non intelligit, etiam hoc Mysticorum enunciatum prorsus esse ex sententia *Schellingii?* Is enim, cum nos jubet *in gratiam redire cum Deo*, hoc vult, ut *desinamus personæ individuæ esse*, adeoque ut *deponamus propriam voluntatem*, quam nobismet, tamquam *personis*, tribuimus, utque prorsus in Absolutum, a quo desciverimus, redeamus. Sed hac de re plura proximo Capite dicemus.

aliud etiam Mysticismi momentum accedit. Diximus in *Prolegomenis*, Mysticum etiam definiri posse eum, *qui nullâ rationis ope*, i. e. *immediate*, *Mysteriorum*, *quæ in religione insint*, *naturam cognitam se habere ac perspectam putet.* Hoc prorsus cadit, ut jam ante diximus, in doctrinam *Schellingii.* Cum enim mirifice contemnit sententiam *Kantii*, qui de rebus intelligibilibus nos quicquam scire posse, negat, tum eidem assentitur, *ratione* quicquam nos scire posse, neganti. Quid ergo? *Intuitione Intellectuali*, i. e. oculis animi Absolutum a nobis cerni et cognosci posse ac debere, contendit. Hæc igitur est *immediata* illa ac nullâ rationis auctoritate nixa rerum intelligibilium cognitio, qua Mysticismus *phantasticus* continetur. Sive igitur universa Schellingii doctrina spectetur, sive hæc singularis pars, quæ est de cognitione rerum intelligibilium, apparet, necessario fieri, ut ex ea doctrina Mysticismus gignatur (*e*).

(*e*) Apponam locum mystici hominis *Jac. Böhmii*, qui et eam, quam dedimus, Mystici definitionem declaret, et, si phantasiam substituas Spiritui, a *Schellingii* doctrina nihil discrepet. Sic igitur *Böhmius* in scriptione, *Aurora*, *p.* 49. » Wilst du nun ein Philosophus seyn und das Wesen Gottes » und der Natur erforschen, so bitte um den h. Geist allein, » um demselben, der allein in Gott und der Natur ist, so » kannst du forschen bis in den Leib Gottes, welcher ist die » Natur, so wohl auch bis in die h. Trinität, und herrschen » im ganzen Leibe Gottes, das ist in der ganzen Natur.«

Itaque Schellingiana doctrina utrumque Mysticismi genus adjuvit ac peperit, cum quod in *sensu* positum est, tum quod in *phantasia*. Et in hoc quidem posteriori genere inprimis ista philosophia se jactat, ut paulo post intelligetur, ubi docebimus, quomodo iste Mysticismus in religionis causa exserat se ac patefaciat. Quamobrem nunc quidem obiter rem attigimus.

Jam antequam reliquum hujus disputationis iter persequamur, hoc loco respiremus aliquantum, Viri eruditissimi, et quantum sit confectum spatium, consideremus. Quæsitum a Vobis est, quibusnam tandem causis multi hac ætate philosophi ac theologi in eam sint sententiam adducti, ut in Mysticismo religionis vim ac naturam positam esse putent? Omnis igitur quæstio erat de religione. Jam, ut omnis religio aut rationis est, aut animi ac sensûs: nos recepto more *theoreticam* ac *practicam* appellemus: ita bifariam intelligi etiam potest illa, quam posuistis, quæstio, ut vel de *practicis* Mysticismi causis, vel de *theoreticis* quæreretur. *Practicas* appellamus eas, quas in hujus Capitis initio *universales* diximus, *omnium hominum, sive cunctæ alicujus nationis communes*, non in doctrinæ alicujus theoretica formâ, sed in animi impulsione sitas. Theoreticæ Mysticismi causæ eædem sunt, quas ante *singulares* diximus, *eruditorum proprias*, quæque peculiari aliquâ philosophiæ formâ continentur. Utrumque causarum

genus explicuimus. Ad *practicas* enim causas quod attinet: effecimus, eam fuisse his postremis temporibus et *religionis* et *rei publicæ* conditionem, quæ necessario afferre debuerit magnam animorum ad Mysticismum inclinationem. Hujus rei tractationi adjecimus *theoreticarum* causarum explicationem. Cum enim ostenderimus, *Schellingii* doctrinam per se mysticam esse, nec fieri aliter potuisse, quin Mysticismus ex ea gigneretur, illud intelligitur, hujus doctrinæ causas explicuisse, idem esse, quod Mysticismi causas explicuisse, *theoreticas* illas, et philosophorum proprias. Causas autem Schellingianæ doctrinæ ita persecuti sumus, ut quæ esset ejus cum superiorum doctrina philosophorum conjunctio, et quâ viâ in præsentem statum philosophia deducta sit, exponeremus. Et ne quid a nobis prætermitteretur, docuimus etiam in *Kantii* ac *Fichtii* ratione quæ inessent ad Mysticismum adjuvandum ac præparandum momenta.

Neque tamen res jam prorsus est declarata. Quamquam enim illud præsertim egimus, ut *Schellingii* philosophiam per se mysticam esse probaremus, hujus autem philosophiæ cum superiori philosophandi ratione conjunctionem declararemus, non tamen ex hac una parte spectari Mysticismi causas volumus. Invertenda scilicet nunc est disputatio, et non tantum ita dicendum, *Schellingii* philosophiam fuisse matrem Mysticismi, verum etiam animorum ad Mysticismum inclinationem, in univer-

salibus illis causis positam, effecisse, ut multis *Schellingii* philosophia placeret. Fuit igitur *mutua* efficacitas. Ipse quidem *Schellingius unice* causis theoreticis in eam, quam secutus est, philosophandi rationem inductus esse videtur. Cum enim, quæ ipsi videbantur, *Kantiana* et *Fichtiana* vitia animadvertisset, eaque corrigere vellet, novæ rationis auctor exstitit. Neque dubitandum est, quin ejus sectatorum quamplurimi propter easdem causas novam hanc philosophandi rationem probaverint et adhuc probent. Sed tamen, quod jam ante diximus, præter illa superioris philosophiæ vitia, magna erat non *Schellingianæ* tantum, sed omnis omnino philosophiæ mysticæ opportunitas. Ea est humana natura, ut religionis expers esse non possit. Si autem talia tempora inciderint, qualia viximus, vehementius etiam, quam alias, religionis vis ac præstantia sentiri solet. Quid jam fieri oportebat? Sustulerant recentiores philosophi rerum intelligibilium et ad religionem pertinentium cognitionem, negaverantque aliquam esse rationis theoreticæ in his rebus judicandis auctoritatem. Probaverant sententiam iis argumentis, quæ facile infringi posse non viderentur. Sic igitur firmissimum religionis fundamentum subrui ac convelli videbatur eodem illo tempore, quo homines magis etiam, quam alias, religione sibi opus esse sentirent. Quid ergo gratius accidere multis poterat, quam ea philosophia, quæ quamquam in religio-

nis causa nihili esse rationis auctoritatem concederet, tamen de rerum ad religionem pertinentium cognitione minime desperandum esse contenderet? Nunc enim non amplius ex ratione pendebat religio, neque amplius pro rationis auctoritate tamquam pro aris et focis erat dimicandum. Relinqui ratio, tamquam præda, philosophis poterat et debebat, ut tamen certissima esset rerum divinarum scientia. Hoc igitur modo religione e philosophiæ faucibus ereptâ, non poterat *Schellingius* non magnam gratiam apud populares suos inire suamque causam multis persuadere.

His igitur ita, ut potuimus, pertractatis, illi quæstionis parti, de qua hoc Capite agendum erat, satisfactum esse arbitramur (*f*).

(*f*) Intelligitur ex iis, quæ diximus, *popularem* Mysticismum, de quo ante exposuimus, ab *uno* tantum causarum genere esse profectum, *universali* nimirum illo, et in afflictâ religionis reique publicæ conditione posito. Qualis sit hoc ipso tempore doctrina Dnae *Krüdener* et hominis fanatici *Peschel*, non satis scio: conf. *Rotterd. courant*, 8 Maji 1817. Nullum autem dubium est, quin id, quod moliuntur, quodque haud paucos sibi conciliant, tribuendum sit universalibus illis causis: vid. *Haagsche courant*, 27 Aug. et *Staats-courant*, 7 Nov. 1817. Neque enim, cum libertatem recuperavit Germania, præteritæ calamitatis memoria ita ex hominum animis continuo deleta est, ut ejus recordatione ne amplius moveantur. Quis enim nescit, mare adhuc magnas undas volvere solere, cum procella jam resederit? Omnino tristis rerum civilium status quantum valeat ad Mysticismum ac Fana-

Sed quoniam hanc causam semel sumus ingressi, hanc nobis veniam dabitis, Viri eruditisimi, ut, antequam huic Capiti finem imponamus, breviter

---

tismum gignendum et adjuvandum, Helvetiæ etiam exemplum declarat. Quæ regio cum anno 1817, rerum necessariarum inopiâ et annonæ caritate tantopere premeretur, ut multi ex ea migrarent in Americam, mirum videri non potest, si in eadem regione multi reperiebantur, qui calamitatis vim ita consolarentur, ut Mysticismo se traderent: vid. *Rotterd. courant* 7 Junii et *Haagsche courant*, 9 Junii, *Nederl. Staats-courant*, 10 Julii et 18 Septembr. 1817. De altera autem causa *universali*, positâ illa in *religionis* infausta conditione, non est quod h. l. dicamus, cum et Historia Eccles. exemplis abundet, et nos jam nonnulla posuerimus. Hæc de Mysticismo *populari*, sive de causis Mysticismi universalibus. Alia est ratio Mysticismi *eruditorum* sive *philosophorum*, quippe qui oriatur e conjunctione *utriusque* causarum generis, cum *universalium*, tum *singularium*, quarum illæ ad *homines*, hæ ad *eruditos* homines pertinent. Quod cum dicimus, non hoc contendimus, quo Mysticismus pareretur, ad *Schellingii* doctrinam *necessario* accedere debuisse *universales* illas causas, ad omnes homines pertinentes. Ea est profecto *Schellingianæ* doctrinæ indoles, ut, etiamsi florentissimo religionis reique publicæ statu exorta fuisset, tamen haud paucos, qui eam probarent, ad Mysticismum perductura fuisset. Cum enim Mysticismi vis ac natura posita sit in *sensu* ac *phantasiâ*, facile intelligitur, in quodcumque tempus *Schellingii* doctrina incidisset, eos, qui eam amplecterentur, semper mysticos fuisse futuros, modo cum animi sensu satis vivido ac vehementi ad eam accederent. Sed hoc volumus, nullum tempus exstare potuisse, quod ad illum sensum in omnium hominum animis excitandum majorem opportunitatem haberet, quam hoc ipsum tempus, quod nactus est *Schellingius*. Non possumus dicere de singulis; volumus litigare, si quis nobis unum alterumve objecerit, cu-

doceamus, Mysticismus ille Schellingianus quomodo exserat se ac patefaciat? quæ sit ejus vis ac natura? Nam quemadmodum ceteræ Mysticorum sectæ, quamquam universæ *sensu* nituntur, singulæ tamen proprium aliquid ac peculiare habent, quo a reliquis distingui possint, ut earum infinita sit varietas (g), sic etiam hujus, de quo agimus, Mysticismi singularis aliqua forma ac species est. Qua de re eo magis necesse est, ut hic agatur, quoniam Capite sequente explicandum nobis erit, *Schellingii* doctrina utrum prosit, an obsit virtutis religionisque causæ. Quod fieri commode non potest, nisi prius hujus Mysticismi naturam et indolem bene cognitam ac perceptam habeamus.

Inter vulgarem Mysticismum, de quo in Prolegomenis diximus, et hunc *Schellingianum* hoc universe interest, quod, cum reliqui fere Mystici ab ipso Deo se affici ejusque efficaciam se intus

---

jus sensus non illis, quas memoravimus, causis universalibus, sed aliis causis, domesticis fortasse, commotus sit, et tamen, *Schellingii* doctrinâ impulsus, ad Mysticismum se applicuerit. Quæritur de universis; non igitur de aliis, quam de *universalibus* causis dicere potuimus. Alias hodierni Mysticismi causas, sed magis singulares, explicat *Vater* in *Köningsb. Archiv.* 1812. III. St. *p.* 373. sqq.

(g) *Eberhard*, *Geist des Urchristenth. Tom.* III. *p.* 287. sq.

sentire dicant (*h*), hanc præsentem Numinis divini vim *Schellingius* prorsus ignorat (*i*). Omnino recentior hic, de quo agimus, Mysticismus a ratione proficiscitur theoretica, progreditur autem ad phantasiam, atque in hac subsistit. Nam, *Deum esse Unum et Omnia*, *adeoque nos esse in Deo sive in Absoluto:* est hoc enunciatum *rationis theoreticæ.* Cum enim *Schellingius* animadvertisset, principium philosophiæ neque *subjectivum* neque *objectivum* esse posse, ita *concludebat* et *argumentabatur*, illud principium esse *Absolutum*, sive *Identitatem objecti et subjecti.* Quod ne cui videatur pugnare cum eo, quod ante diximus, a Mysticis, cum qui sensum potissimum, tum qui phantasiam sequantur, contemni solere rationem theoreticam; hæc igitur ne repugnantia esse videantur, animadvertendum est, quamquam illud de *Absoluto* placitum a ratione theoretica profectum sit, ipsum tamen *Schellingium* negare, hujus Absoluti *naturam* aliter nisi *immediate*, i. e. per *Intuitionem Intellectualem*, cognosci posse. Atque hic est Mysticismus *Schellingianus.* Similiter reliqui

---

(*h*) *Reinhard*, *System der chr. Moral*, *Tom.* IV. *p.* 284.

(*i*) Recte hoc monet Auctor libri: *Ueber den gegenw. Zust. der Philos. p.* 165. Nec tamen *Schellingius* negat, homini opus esse divino auxilio ad virtutis exercitationem. Sed infra erit aptior de hoc argumento disserendi locus.

Mystici phantastici: de his enim nunc loquimur, quamquam idem in alterum Mysticorum genus transferri potest: jam animo conceptas habere solent rerum intelligibilium notiones, sive a ratione theoretica, sive a Sacra Scriptura, sive ab aliorum institutione haustas, *antequam* Mystici fiant, i. e. antequam earum rerum intelligibilium *naturam se cognoscere* jactent.

Ex his intelligitur, *Schellingianum* Mysticismum magis in *phantasia*, quam in *sensu* esse occupatum, illam esse *primariam* ejus partem, hunc vero *secundariam*. Et in illa quidem Intuitione Intellectuali quantum phantasia valeat, res ipsa satis declarat. Sed ne alterum quidem illud, quod *rationis theoreticæ* enunciatum esse diximus, sine phantasia esse potest. *Schellingius* enim cum Absolutum poneret principium philosophiæ, in quo omnia, ea quoque, *quæ maxime contraria* nobis videantur, *eadem* sint, illud certe sumebat, hoc Absolutum existere *posse*, *nec secum pugnare*. Quod quidem nec sensuum corporeorum, nec ejus sensûs, quem *communem* vocamus, auctoritas eum docere potuit. Nihil aut in mundo adspectabili aut in rationis placitis reperitur, quod huic Absoluto analogon sit. Omnia repugnant. Itaque *Schellingio* nihil relinquebatur, quam ut, contemto sensuum testimonio, contemtâ ratione, unius phantasiæ tamquam alis supra hanc *empiricam* colluvionem se efferret, et in alium rerum ordinem ac

statum avolaret, in quo ea vera sint, quæ, si sensus et rationem consulamus, vera esse nullo modo possint.

In omni Mysticismo est quædam sensûs et phantasiæ sive permistio sive reciprocatio. Sed apud ceteros Mysticos sensus fere antecedit, sequitur phantasia, i. e. primum se aliquo modo affectos sentiunt, tum cogitant de causa affectionis. Apud *Schellingium* vero phantasia sensu prior est, atque in ejus Mysticismo dominatur. Ex quo intelligitur, quæ sit hujus philosophiæ cum *Poesi* conjunctio. Mysticus et Poeta duo habent communia, *sensum* et *phantasiam* (*k*): quo fit, ut unusquisque Mysticus quodammodo Poeta sit (*l*), quoniam a Mysticismo nec sensus nec phantasia abesse potest. Sed multum interest, utrum sit vehementius. Quo magis Mysticus sensui, quo minus phantasiæ indulget, eo longius a Poesi recedit. Ipsum enim vocabulum *Poetæ*, quod ductum est a Græco ποιεῖν, ejus munus non tam in *patiendo*, i. e. in sensu, sed in *agendo*, i. e. in phantasia, positum esse, declarat (*m*). Hinc

---

(*k*) Conf. *Adam Simons*, *Redev. over. den waren Dichter*, *p.* 16. sqq.

(*l*) Conf. *H. P. K. Henke*, *Actenmäss. Gesch. einer Wurtemb. neuen Prophetin*, in Præfat. *p.* IX.

(*m*) Vid. *Kant*, *Kritik der Urtheilskraft*, *p.* 203. *Bouterweck*, *Aesth. Tom.* II. *p.* 22. et quos laudat *J. J. Esschen-*

perspicuum est, Mysticismum *Schellingianum*, in quo tanta phantasiæ vis sit, suâ naturâ multo magis, quam reliquum Mysticismum, qui sensu præcipue continetur, esse *poeticum*. Ista autem phantasia *Schellingiana* eo vehementior est et liberius se jactat, quod nullis frenis se coerceri patitur. Poetæ enim, quamquam quidvis sibi licere putant, tamen numquam fingendum aliquid judicant, quod aut cum *recta ratione* aut cum *rerum natura* pugnet (*n*). His autem vinculis *Schellingii* Intuitio Intellectualis prorsus soluta est. Rationi enim in rebus intelligibilibus cognoscendis *nihil* tribuit. Non curat igitur, quid ratio sentiat de Absoluto, quod phantasiâ cernitur (*o*). Quid autem rerum natura? Quatenus apparet atque in Experientiam cadit, nihil est, neque cum Absoluto quicquam com-

---

burg, *Entwurf einer Theor. und Literat. der schön. Redekunste*, *p.* 53. sq. 3. ed. 1805.

(*n*) Hæc *pugna cum rerum natura* non ita interpretanda est, quasi Poetæ numquam *Experientiæ* terminos migrent. Sed hoc dicimus, eos nihil fingere solere, quod, per cognitas naturæ leges, in *Experientiam cadere non possit*, v. c. montem sine valle, urbem in superficie aquæ, cet.

(*o*) Satis constat, phantasiam eo vehementiorem esse solere, quo minus exculta sit ratio, quæ ejus impetum reprimat. Quod cum in pueris intelligi potest, tum in hominibus rudibus ac nulla fere scientiâ rerum instructis. Quorum quidem lingua, poeticis imaginibus repleta, phantasiæ vim satis declarat.

mune habet. In Absoluto *eadem* sunt, quæ in rerum natura sunt *disjuncta* atque *contraria* (*p*).

Schellingius, ut paulo ante diximus, assentitur *Kantio*, ita dicenti, *ratione* Deum cognosci non posse. Sed *Kantius*, fracta rationis auctoritate, omnem rerum intelligibilium scientiam sublatam esse, judicabat. Non suspicabatur nimirum, demta ratione, aliud etiam cognitionis instrumentum nobis relinqui. Itaque in rationis locum substituebat *fidem practicam*. In quo vehementer ab eo dissentit *Schellingius;* quippe qui, quod ratione fieri nequeat, id *Intuitione Intellectuali* fieri contendat. Non cogitando, inquit, et meditando Absolutum assequimur, sed mentis oculis *cernimus*.

(*p*) Hinc intelligitur, quare in *Spinozæ* doctrinâ minor, quam in *Schellingii*, vis phantasiæ sit. *Spinoza* enim, cum res per se ita esse, ut apparerent, existimaret, in rerum natura subsistebat, nec opus ei erat, mente et cogitatione ulterius progredi. Naturam quidem (quam ille Deum appellabat) infinite extensam esse dicebat: cujus infinitatis nulla sine phantasia notio est. Sed hæc phantasia *Spinozæ* communis est cum ceteris omnibus philosophis ac theologis, qui Deum esse infinitum statuunt. *Schellingius* contrà *effert* se supra rerum naturam, quam, ut *Spinoza* Deum, sic ille *Nihil* esse dicit. Itaque perpetuum ei cum Experientia certamen est, quæ profecto vinci sine phantasia non potest. Absolutum enim, quod *Schellingius* quærit, rerum sensibilium tamquam velo obtentum est. In hoc autem Absolutum acie mentis ita penetrandum est, quasi illud velum omnino non exstaret. In quo quantum phantasiæ munus sit, facile intelligitur.

Quæ Intuitio sive Phantasia cum nihil aliud sit, quam mentis supra rationis placita et rerum naturam elatio, apparet, ut alii religionem *rationalem* esse debere dicunt, sic *Schellingium* ejusque sectatores, si constare sibi velint, aliter statuere non posse, quam statuunt, *religionem nihil aliud esse, quam Poesin* (*q*).

(*q*) Id est, ut poesis, sic religio, *phantasiâ* et *sensu* continetur. Si vulgarem religionis partitionem adhibeamus, *objectiva* refertur ad phantasiam, *subjectiva* ad sensum, qui, in *Schellingii* doctrina, phantasiam sequitur. Ceterum hoc loco animadvertere liceat, quæ sit *Schellingianæ* doctrinæ cum Platonica convenientia. Plato cum ab *Heraclito* didicisset, *omnia fluere*, neque quicquam in eodem statu permanere, nullam posse harum rerum instabilium cognitionem esse, contendebat. Itaque dicebat, esse in mente divina *Ideas*, ad quas singula rerum genera essent efficta: has Ideas stabilitatem habere: aut has igitur esse cognoscendas, aut nullam esse scientiam. Ea autem, quæ in hoc mundo adspectabili reperiantur, ne *esse* quidem docebat: conf. Disp. nostra in *Opp. Soc. Teyl. Theol. Tom.* XXVI. *p.* 47. sqq. Ut igitur *Plato* Ideas, sic *Schellingius* Absolutum tantum *esse* dicit: uterque a rebus sensibilibus avocare mentem jubet. *Plato* ad Ideas, *Schellingius* ad Absolutum omnia refert. Quorsum hæc? ut intelligatur, cum in utraque doctrina phantasia plurimum valeat, utramque etiam hoc habere commune, quod magnam partem *poetica* sit. Platonica autem poesis in oratione etiam cernitur, quæ, ut ait *Quinctil.* X. 1. *p.* 501. *Multum supra prosam orationem surgit.* Conf. etiam *Cic. Orat. Cap.* XX. *Ruhnk. Præf. ad Timæi Lexic. Platon. p.* IX. *Wyttenb. Bibl. Crit. Vol.* I. *P.* I. *p.* 29. *Krug*, *Diss. de poetica philosophandi ratione p.* 19. et *F. Ast*, *Platon's Leb. und Schr. p.* 35. sq. Lips. 1816.

Dici non potest, quam bella hæc sententia multis visa sit in Germania. In omni Mysticismo est aliquid molle ac delicatum et mulieribus præsertim placens (*r*). Sed philosophiæ ea adhuc fuerat austeritas, ut elegantioris ingenii hominibus non placeret. Poetarum vero alia fortuna erat. *Goethii*, *Schilleri*, aliorumque carmina domi et in circulis recitabantur, eorumque fabulæ magno cum plausu in theatris agebantur (*s*). Hanc conditionis iniquitatem pertæsa philosophia, auctore *Schellingio*, mysticam et poeticam vestem induit. Ita depositâ vultûs torvitate, gravis illa ac vetula matrona in pulchram puellam mutata est. Opportunum hoc accidit multis, qui simul et philosophi et eleganti ingenio præditi haberi vellent. Jam enim philosophi nomen non amplius invisum et odiosum erat politioribus hominibus ac muliercu-lis, sed contra gratum et acceptum. Illud vero quantas illecebras habebat, quod, cum antea philosophia multis quæstionibus subtilibus onusta et impedita fuisset, nunc, sola duce phantasiâ, omnibus ad arcem philosophiæ aditus pateret, ut, quo magis quisque phantasiâ valeret, eo melior philosophus videretur.

(*r*) Conf. Diss. germanice scripta in *Berl. Monatschr.* 1808 Julii: *Benedikt Spinoza, oder über Atheism, Fatalism und Mysticism.*

(*s*) Vid. *Die neue Kirche*, *p.* 18. sqq.

Jam de poesi ac de religione illæ sententiæ dici et enunciari cœperunt, ad quas difficile erat risum tenere (*t*). Nos autem de una religione dicamus. Fieri aliter non poterat, quin iis, quibus hæc probaretur sententia, religionem esse poesin, magnopere displiceret *cultus publicus Protestantium.* Adhuc quidem Oratores Sacri id egerant, ut ii, apud quos dicerent, aut intelligentiores aut emendatiores fierent. Nunc autem, ut omnis religio, sic etiam Orationes Sacræ ad phantasiam et ad sensum referri debebant. Erant igitur, qui negarent, ab earum Orationum consilio quicquam magis alienum esse posse, quam aut Cognitionis amplificationem, aut Animi morumque

---

(*t*) Ut de poesi unum joculare exemplum apponamus, *Brauser* in *Ast's Zeitschr. für Wissensch. und Kunst*, 3 Heft, 2 Abh. suam de *Romantica* Poesi sententiam, ex *Schellingiana* doctrina haustam, ita explicat: » Die Romantik ist Weltan-» schauung durch ein Prisma, wo die nackte Endlichkeit um-» zogen von herrlichen Irisbändern erscheint, aber noch in » ihrer ärmlichen Kümmerlichkeit, die durch den Gegensatz » der Farbenschöne nur mehr hervorsticht. Noch ist der » Tod in ihr, und das Licht des Lebens kann nicht in sie » dringen und sie organisch beseelen und beseeligen." Festive *Krugius*, *De poet. philos. rat. p.* 14. monet, Auctorem melius hanc artem definiturum fuisse, si ita dixisset: » Die » Romantik ist Weltanschauung durch eine Brille, mittels wel-» cher die grosse, herrliche, schöne und lebendige Natur als » ein kleines, erbärmliches, verzerrtes und todtes Bildchen » erscheint."

emendationem. Hoc unum postulabant, ut phantasia et sensus commoverentur (*u*). Itaque Poetæ de sacris Cathedris concionabantur, et adhuc templa hic illic carminibus personant (*v*).

Sed magis etiam displicebat, quod in religioso cultu, quem Protestantes Deo adhiberent, nihil inesset *pompæ*, rituum autem summa penuria atque jejunitas. Cum duplex hominum natura sit, *intelligibilis* et *sensibilis*, religionis etiam doctrina aut per *notiones* sive *ideas*, aut per *symbola*, aut per *utraque* conjunctim, explicari potest. Protestantes, memores illius admonitionis *Joann.* IV. 24. omnem religionis vim in naturæ humanæ parte *intelligibili* positam esse debere, existimant, alte-

---

(*u*) Vid. ne alia aliorum scripta memorem, *A. T. A. F. Lehmus*, *Predigten. Nebst einer Abhändl. über die Predigt.* Nordling 1806. collat. *J. G. Rosenmüller*, *Beytr. zur Homiletik*, Lips. 1814. *p.* 35.

(*v*) Exemplum hujus mysticæ poeseos, ex *Lehmi* libr. cit. petitum, hic ponamus:

Wenige wissen
das Geheimnisz der Liebe;
des Abendmahls göttliche Bedeutung
ist den irdischen Sinnen Räthsel.
Aber wenn das Auge aufging,
dasz er des Himmels
unergründliche Tiefe masz,

ram illam partem parum curantes (*w*). Nihil magis alienum esse poterat a mente *Schellingianorum*, omnem religionis naturam ad phantasiam ac sensum referentium. Quanto melius Græci, quorum cum religione Poesis, Musica, omnes denique elegantiores artes arctissime erant conjunctæ (*x*)! Itaque erant Poetæ, qui religionem Græcorum interiisse, ejusque in locum jejunam illam Christianam successisse, magnopere dolerent atque ægre ferrent (*y*). Neque dissentit *Schellingius*, quam-

---

wird essen von seinem Leibe
und trinken von seinem Blute ewiglich.
Denn dieser Liebe Genusz
währet von Ewigkeit zu Ewigkeit.
Naht euch dem Tische der Sehnsucht.
Erkennet der Liebe
unendliche Fülle,
und preiset die Nahrung
von Leib und Blut.

(*w*) Vid. *G. C. Müller*, *Protestantismus und Religion*, *p.* 85. 106.

(*x*) *Herder*, *Ideen zur Philos. der Gesch. der Menschh. Tom.* III. *p.* 156. sqq. *A. W. Schlegel*, *Geschied. der Toneelk. en Tooneelpoëzij. Tom.* I. *p.* 13. *Heeren*, *Ideen über die Politik*, *den Verkehr. cet. Tom.* III. *p.* 477, 497.

(*y*) *Friedr. von Schiller*, *sammtl. Werke*, *Tom.* III. *p.* 405. sqq. ita canit:

quam is, ut Poeta et Mysticus, non tam popularem Græcorum religionem laudat, quam *Esotericam*, quæ *Mysteriis* continebatur. Vult autem re-

---

Die Götter Griechenlands.

Da ihr noch die schöne Welt regieret,
An der Freude leichtem Gängelband
Selige Geschlechter noch geführet,
Schöne Wesen aus dem Fabelland!
Ach, da euer Wonnedienst noch glänzte,
Wie ganz anders, anders war es da!
Da man deine Tempel noch bekränzte,
Venus Amathusia!
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
Schöne Welt, wo bist du? Kehre wieder,
Holdes Blüthenalter der Natur!
Ach, nur in dem Feenland der Lieder
Lebt noch deine fabelhafte Spur.
Ausgestorben trauert das Gefilde,
Keine Gottheit zeigt sich meinem Blick;
Ach! von jenem lebenwarmen Bilde
Blieb der Schatten nur zurück.

Sed nolumus reliquas Poetæ querelas persequi. Horum hominum idem fere negotium est, quod Hebræorum illorum, ad quos exstat in N. T. epistola. Qui cum desiderio pompæ Mosaicæ religionem Christianam aspernarentur, Auctor ejus ep. eos νήπιους appellat et χρείαν ἔχοντας γάλακτος. *Cap.* VI. 12, 13.

tinere religionem Christianam, ita tamen, ut Græcorum Mysteria in eam importentur. Neque enim aliam esse Christianam, aliam Ethnicam religionem existimat. Eandem esse religionem contendit, hoc tantum interesse, quod Christiana religio divulgaverit Mysteria ethnicorum (*z*).

Perspicuum est, quo illa res tenderet. Homines volebant religionem ethnico-christianam, mysticam, poeticam. Ecquam aliam exoptare poterant, quam *Catholicam?* Hujus enim, cum *symbola* sectetur et ad *sensibilem* hominum naturam maxime sit accommodata (*a*), ea erat rituum religiosorum pompa, ut ad desideratam illam Græcorum religionem proxime accedere videretur (*b*). Præterea *Catholica* religio maxime *esotericæ* indolis esse, atque unice apta ad celanda *Mysteria* videbatur (*c*). Omnino ejusmodi est, ut et Mysti-

---

(*z*) Vid. *Schellingii Philos. und Relig. p.* 73. sqq. Quæ loca jam apposuit *J. A. L. Wegscheider* in libro: *de Græcorum mysteriis religioni non obtrudendis*, *p.* 13—15. Götting. 1805.

(*a*) *Müller*, *Protest. und Relig.* l. c.

(*b*) Vid. *Middleton*, *A letter from Rome*, *shewing an exact conformity between popery and paganism*, *or the Religion of the present Romans*, *derived from that of their heathen ancestors:* Lond. 1733. ed. 3. Liber germanice versus est hac inscriptione: *Schreiben aus Rom*, *darinn eine genaue Uebereinstimmung des Pabstthums mit dem Heidenthum gezeigt wird*, Francof. 1738.

(*c*) *Eschenmayer*, in libro: *der Eremit und der Fremd-*

cis *Schellingianis*, et poetis universe, mirifice placere soleat (*d*). Itaque magnus *Schellingianorum* ad religionem Catholicam concursus factus est (*e*). Sed ab iis, qui hanc religionem *publice* susceperunt, bene distinguendi sunt illi, qui Protestantium *nomen* tueri volunt, ipsam autem *religionem*

---

lung, *p.* 36. Erlang. 1805. » Diese erhabene Richtung der » Religion, die Mysterien in sich aufzubewahren, und sie al- » len profanen Augen unzugänglich zu machen, liegt unver- » kennbar im Katholicismus, und in allen Abweichungen von » ihm ist keine Spur mehr davon anzutreffen."

(*d*) Hoc nuper etiam declaratum est exemplo *Goethii*, qui in libro: *Aus meinen Leben*: *Tom.* II. *p.* 178—188. de Protestantium religione, ut jejuna et exsangui, admodum per contemtum loquitur, Catholicam autem summis laudibus effert. Quod quidem magno argumento est, non omnes poetas etiam philosophos esse; ut recte monet Auctor libri: *Die neue Kirche*, *p.* 41. Ad *Schellingium* quod attinet, satis apparet, ejus philosophiam, si quidem constare sibi velit, a Protestantismo esse alienam debere. Protestantismus enim, ut diximus, *notiones* sectatur, atque magnam auctoritatem *rationi* tribuit, quam *Schellingius* aspernatur. Contrà, Catholicismus prorsus ad ejus philosophiam accommodatus est. Quemadmodum enim *Schellingius* mentis oculis Absolutum intuetur, sic Catholicismus corporis oculis *symbola* exponit. Est igitur et illius philosophiæ et hujus religionis summa convenientia ac veluti analogia. Utraque rerum intelligibilium cognitionem nobis *immediate* impertitur, easque sensibus nostris admovet, altera res ipsas mentis sensibus, altera rerum symbola corporis sensibus. Confer locum *Juliani Imp. p.* 293. A. B.

(*e*) Conf. *Tzschirner*, *Kirchengesch. seit der Reform. Tom.* IX. *p.* 636.

Protestantium ad Catholicam accommodatam esse cupiunt. Scilicet ut cetera omnia in religione Catholica placent, ita displicet *hierarchia*, quem illi *Papismum* vocant, atque a *Catholicismo* distinguunt (*f*). Hunc probant, illum rejiciunt; *Catholici* sunt, non *Papistæ*. Sed ne eodem loco, quo ceteri Catholici, habeantur, satius ducunt, *Protestantium* nomen retinere (*g*). Inter hos nonnulli sunt, qui *allegoricum* Catholicismum commendent: nescio enim, quomodo aliter appellem. Quorum hoc est institutum, ut doctrinam *Schellingianam* explicent formulis ac dictionibus, a Catholica religione ductis, ita tamen, ut quæ Catholici *proprie*, eadem illi *improprie* dicant. Loquuntur de *Sacerdotibus*, de *Sacrificiis* cet. ut Catholici, sed longe alio sensu (*h*). Jam fatemur quidem,

---

(*f*) Vid. *Vater*, *Ueber Mysticismus und Protestantismus*: in *Königsb. Archiv*, 1812. *Part.* III. *p.* 411. sq.

(*g*) Sunt tamen etiam, qui *Protestantibus* aliquem Papam præesse velint: adversus quos egregie disputat Auctor libri: *Die neue Kirche*, *p.* 46. sqq.

(*h*) Operæ pretium est, rem exemplo declarare. *Marheineke* in libro: *Grundlegung zur Homiletik*, Hamb. 1811. vult Antistites Sacrorum Protestantes *Sacerdotes* esse. Si quæras, qualem dicat *Sacerdotem*, quidve *sacrificare* velit, hoc responsum feras, de media *Schellingiana* doctrina petitum: *p.* 10. sqq. » Opfern heiszt nichts anders als das vergängliche » Scheinwesen den ewigen Urwesen weihen, und der ist ein » Priester in der ursprünglichsten und reinsten Bedeutung, der

qui ita loquantur, non continuo eam ob causam in Catholicorum numero esse habendos; sed tamen hæc ipsa impropria dicendi ratio adjuvare haud parum Catholicismi causam videtur. Alii enim in verborum involucris hærent, et, cum ipsas res non capiant, quæ improprie intelligenda sunt, proprie interpretantur. Alii vero, iique Catholici, ejusmodi allegorias, a Protestantibus usurpatas, in rem suam astute convertunt, easque ad religionis Catholicæ commendationem adhibent (*i*). — Sed

---

» dieses kann und thut. — Die Wissenschaft, die aus Gott ist, » ist zugleich der höchste Opferact des Geistes und ein nothwen- » diger und ein ewiger, darin bestehend, dasz in allem Erken- » nen die Verbindung des Lebens mit den göttlichen Ideen » vermittelt, das Verhältnisz des Scheins und des Aeussern » aller Dingen zur Wahrheit und Wesenheit ausgemittelt, » und ihr Widerstreit in die ewige Einheit aufgelöscht, al- » les übrige, aus Gott nicht geflossene, für sich bestehende, » und für sich etwas seyn wollende Wissen aber als eitel und » nichtig erkannt werde. Denn wenn es, mit einem grossen » und hohen Priester zu reden, in der Natur sowohl als im » Geist und in der Geschichte die grosse Absicht des Uni- » versums ist, dasz eine vollendete Versöhnung eintrete und » eine *Wiederauflösung aller Dinge in Gott*, so kann sie » einerseits nur durch diesen heiligen Opferact geschehen » cet."

(*i*) Docet *J. G. Rosenmüll. Beytr. zur Homilet. p.* 43. *Herendum Haid*, Catholicum, hæc ipsa, quæ posuimus, *Marheinekii* verba, ut et locum in *Claudii Wandsbekk. Bothe*, VII. *p.* 85—93. ita adhibuisse, ut doceret, religionem Cathol. ab ipsis Protestantibus, iisque eruditis viris, laudari et

inprimis hic memorandum est eorum negotium, qui Catholicismi cultum, *proprie* ita dictum, a Protestantibus adscisci et adhiberi volunt. Qui rursus in aliqua varietate sunt. Alii totum cultum volunt, integrum et illibatum, alii hic illic paululum immutatum, alii nonnullas partes sublatas cupiunt, ita tamen, ut hæc jactura aliarum partium adjectione compensetur. Magnus enim campus est, in quo luxuriosa ingenia jactare se possint. Nos quidem cum unum idemque universorum consilium sit, nolumus singulorum opinionibus enumerandis bonas horas perdere. Itaque ab uno discite omnes. Nuper inter Protestantes aliquis exstitit, qui, tamquam simiolus, mirabiliter gesticularetur (*k*). Vehementer carpit Theologos Protestantes, eosque malevolentiæ, partium studii, ignorantiæ accusat, atque negat eorum quempiam vim ac naturam religionis Christianæ percepisse. Nullum esse Protestantibus pulcri venustique sensum, contendit, quinetiam ipsa artis elegantiæque nomina

---

commendari. Vid. *Haidii* liber: *Ueber das Priesterthum vor, in und nach Christus* Munch. 1812.

(*k*) *G. C. Horst, Pfarrer zu Lindheim: Mysteriosophie, oder über die Veredlung des protest. Gottesdienstes durch die Verbindung eines einfach-erhabenen innern Acts des Cultus mit der Predigt:* cet. Francof. 1817. *Tom.* I. Nos hujus potissimum libri mentionem facimus, quia, quod quidem sciamus, in hoc genere novissimus est.

iis invisa et odiosa esse. Ad cultum Dei publicum quod attinet, illam *concionandi* consuetudinem non adeo magni esse faciendam putat: non enim religionis argumentum *intelligi* posse, sed ejus vim *sentiri* debere (*l*). Neque opus esse certâ aliquâ ac *positivâ* doctrinæ formulâ; unum *cultum* requiri. Qualis ille cultus esse debeat, res ipsa loquitur. Quemadmodum corpus visu, auditu, ceterisque sensibus instructum est, sic animo etiam est quidam sensus tributus, quo Infinitum sive Absolutum intueri possimus. Sed quoniam, quod Infinitum est, sensibus etiam externis percipiendum spectandumque proponi potest, opus est *symbolis* ad illos sensus accommodatis (*m*). Quid multa? Auctor, quæ requirit, in Catholicismo reperit. Laudat *Missam*, quia feriat sensum, phantasiam augeat, atque mentem ad Infiniti Intuitionem efferat. Similiter in omni religione nihil *Transsubstantiatione* sublimius, nihil præstantius

---

(*l*) Honorificentius de *Sacris Orationibus* judicat *J. C. Gasz*, *über den christl. Cultus*, apud *Bengelium* in *Archiv.* II. 2. *p.* 450. sqq.

(*m*) Hæc leguntur *p.* 246. Nescio autem quomodo me expediam; quoniam Auctoris oratio claudicat. Primum non intelligo, quî Auctor demonstret, Infinitum externis sensibus proponi posse: tum non capio, quare id, quod fieri *possit*, fieri etiam *debeat?*

novit (*n*). Porro a Protestantibus *Processiones* ac *Peregrinationes* suscipi vult, atque *Sanctorum adorationem* commendat. Quid illud persequar, quibus signis atque picturis exornari templa velit? Hoc unum adjiciendum est, Auctorem etiam Mysteriosophis *Schellingianis* tribuere *facultatem miraculorum efficiendorum!*

Explicuimus quæ sit *Schellingianæ* doctrinæ cum religione Catholica conjunctio (*o*). Possunt autem, ut diximus, eorum, qui *Schellingii* doctrina commoti hanc religionem probant, duo genera con-

---

(*n*) Erunt fortasse, quibus vix credibile videatur, ita loqui aliquem apud *Protestantes* religionis doctorem. Itaque hic apponamus ipsius Auctoris de *Transsubstantiatione* verba, *p.* 37. Ita cum Amico colloquitur: » Sie kennen das » Dogma vom Abendmahl, dessen Charakteristisches bey den » Katholiken in der Transsubstantiationslehre besteht. Steigern » Sie nun dieses Dogma zu einer Weltbürgerlichen religiösen » ewigen Idee; so haben Sie die erhabene Idee der Einheit » des Seyns und Erscheinung oder des Göttlichen und des » Irdischen." Similiter *p.* 317. » Das Dogma der Transsub- » stantiation geht auf dem höchsten Weltbürgerlich-religiosen » Standpunkt in die erhabenste Idee aller Religion und » Philosophie über, die Idee und Anschauung der Einheit » des Endlichen und Unendlichen, des Irdischen und Gött- » lichen."

(*o*) *Archives Literaires*, *Num.* II. *Sur l'état actuel de la philosophie en Allemagne*, *p.* 189. » Il est bizarre sans » doute de voir des rossires dans les mains de ces religion- » naires nouveaux, qui placent Spinoza au rang de leurs plus » grands prophètes."

stitui; alterum eorum, qui *nomine* Protestantes, *re* Catholici sunt, eorum alterum, qui eam religionem *publice* susceperunt. Posterius hoc genus rursus bipartitum est: alii Papæ imperium — mente certe et animo — detrectant, *multitudini* tantum Papâ opus esse, existimantes (*p*), alii vero Papæ auctoritati se subjiciunt, sive quod vere et ex animo ita faciant, sive quod tantam esse universæ religionis Catholicæ præstantiam putent, ut hac una re non magnopere offendantur. Illos *Schellingianos Jansenistas*, hos *Papistas*, recte appellaveris (*q*).

(*p*) *G. C. Müller*, *Protest. und Relig. p.* 61.

(*q*) Nuper editus est liber hac Inscriptione: *Hat und behält der Mensch bei und nach einem Religionswechsel seine gesunde Vernunft? Oder Geschichte des *** schen Hofraths von Maibach, welcher von der protestantischen zur katholischen Kirche überging.* Berol. et Lips. 1816. Auctor hujus libri narrat, annis 1813 et 1814. plus quam trecentos homines, honestos atque ingenio excultos, relicta Protestantium religione, Catholicam suscepisse. Quos omnes an *Schellingiana* doctrina commoverit, non audeo dicere: possunt enim plures causæ excogitari. Ea Protestantismi ratio est, ut nusquam subsistendum putet, nullis terminis se coerceri patiatur. Catholicismus contrà firmam habet ac stabilem auctoritatem, in qua acquiescendum est. Quâ causâ *Stolbergium* commotum esse, constat, ut ad Catholicos se conferret, pertæsum instabiles illas opiniones, quibus Protestantes jactari ipsi videbantur. Vid. *Stolbergii Ep.* in *Theol. Nachrichten*, 1801. *August. p.* 249. sqq. Ejusque cum *Lavatero* commercium epistolarum, in *Theol. Nachr.* 1802. *Martii*, *p.* 78. sqq. Similiter fere ad Catholicæ religionis commendationem

adhibetur illud argumentum, quod vulgo *a tuto* dicunt, in libro: *Philosophie des Katholicismus von dem Fursten von L..... Nebst der Antwort von der Frau Gräfinn M. von B..... und einer vorrede des Hrn. Dr. Marheineke.* Berol. 1816. Porro, ut in ceteris rebus omnibus, sic etiam in religione, est quidam *mos et consuetudo.* Si *Schellingii* doctrinâ tres ad Ecclesiam Cathol. adducantur, sequuntur decem, non *Schellingii* auctoritate moti, sed quoniam tres illi antecesserunt. Nobis quidem hoc argumentum egregie tractatum et explicitum videtur in libro laudato: *Gesch. des *** schen Hofraths von Maibach.* Neque illud prætermittendum est, jam antequam *Schellingius* novam hanc philosophandi rationem prodidisset, eam factam fuisse *Graphices* conversionem, sive immutationem, quæ magnam pompæ Catholicæ commendationem haberet. Nonnulli pictores, ut *Fred. Bürii*, *Wächter*, *Feodor*, alii, ad antiquorum artificum, *Raphaëlis*, *Bellini*, *Mantegnæ*, *Garofali* aliorumque exempla se componentes, veterem consuetudinem revocaverant, ut de Sacrâ Historiâ potissimum picturæ materiam et argumenta sumerent. Hæc ratio cum per se placebat, tum scriptis etiam nonnullis valde commendabatur. Quorsum pertinet liber Anonymi (*Wackenröderi*): *Herzensergiessungen eines kunstliebenden Klosterbruders.* Inprimis vero multum valuit *Frid. Schlegelii* auctoritas, qui in libro: *Europa:* nullam esse picturæ digniorem materiam, quam religionis Christianæ argumentum, contendit. Vid. *W. K. F. über neu-deutsche religiös-patriotische Kunst*, in *Goethii Kunst und Alterthum in den Rhein- und Mayn-Gegenden: Part.* II. *p.* 20 sqq. Stuttgard 1817. Quibus causis, *Schellingianam* philosophandi rationem partim antecedentibus, partim comitantibus, factum est, ut in Graphicam quidam Mysticismus importaretur, quo nihil opportunius accidere poterat Catholicis, quippe qui ut alias artes, sic etiam picturam, arctissime cum religione ejusque mysteriis conjungant.

CAPUT II.

UTRUM ILLE, DE QUO EGIMUS, MYSTICISMUS, RELIGIONIS VIRTUTISQUE CAUSÆ PROSIT AN OBSIT?

Erunt fortasse, qui hanc quæstionis a Vobis, eruditissimi Viri, positæ partem ita tractari aut debere aut posse putent, ut de *universo* Mysticismo disseramus, de quo ut judicetur, ita de Schellingiana quoque ratione judicari debere. Quorum mihi sententia non placet. Non enim, si communis est reprehensio, continuo sequitur, laudem quoque esse communem. Malum si est Mysticismus, vituperandus quoque est *Schellingius*. Sin Mysticismus per se bonum quid est ac laudabile, non tamen continuo singulæ Mysticorum sectæ earumque opiniones probandæ. Nisi forte si ferri *Fenelonis* Mysticismus potest, ferri quoque debent aut *Joannis a Leydâ* furores, aut monachorum in monte Atho insania. Neque, si quæstionis vim recte cepi, illud a me exspectari arbitror, ut in universum Mysticismi campum me conjiciam, sed hoc postulari, ut in una *Schellingii* ratione disputatio nostra versetur. Itaque hoc erit hujus Capitis ar-

gumentum, ut Mysticismus ille, quem induxit *Schellingius*, utrum religionis virtutisque studio prosit an obsit, breviter consideremus (*r*). Neque enim necesse est, ut de *populari* illo Mysticismo, ex *universalibus* causis orto, nec ad certam doctrinæ formam composito, peculiariter dicamus. Cum enim de hoc Mysticismi genere proprie quæstio non esset, superiori Capite non alio consilio de eo egimus, nisi ut intelligeretur, quanta esset animorum ad *Schellingii* mysticam doctrinam suscipiendam præparatio. Eandem ob causam in *Kantii* ac *Fichtii* doctrina explicanda versati sumus. Cum uno igitur *Schellingio* nobis res est. Et quandoquidem Capite superiori declaratum a nobis est, primum doctrinam *Schellingii* per se esse mysticam, *tum* hujus Mysticismi naturam præcipue *in Poesi* esse positam, *denique* in poetico hoc Mysticismo inesse Catholicæ religionis commenda-

---

(*r*) Universum Mysticismum præter alios oppugnarunt *G. G. Zeltnerus*, *in Breviario controv. cum Enthus. et Fanat.* Lips. 1724. *E. D. Colberg*, *Platonisch-Hermet. Christenth.* Lips. 1710. Anonymus (*Petr. Jurieu*), *Traité histor. contenant le jugement d'un Protestant sur la Théol. myst.* *J. Stinstra*, *Lettre pastorale contre le Fanatisme.* Alios laudat *Noesseltus*, *Anweis. zur Kenntnisz der besten allgem. Bücher* cet. § 296. Ad Mysticismum Schellingianum quod attinet, dolemus librum *Kleinii* et *Schröteri*, *Oppositionsschrift*, nobis serius innotuisse, quam ut eo uti potuerimus.

tionem, omnis nostra tripartita sit disputatio necesse est. *Primum* videbimus, universa illa absolutæ *Identitatis* doctrina, quam superiori Capite explicuimus, utrum religionis virtutisque causæ plus emolumenti an detrimenti afferat? *Deinde* agemus de religione in poesin conversâ. *Denique* de Catholicismo disputabimus.

I. Primum igitur illud videamus, universa illa absolutæ *Identitatis* doctrina, quæ Capite superiori a nobis exposita est, utrum suâpte naturâ religionis virtutisque causæ prosit an obsit? In quo hoc animadverti debet, si nobis hujus rei judicium nullam dubitationem habere videtur, non æque facile esse nostram sententiam Schellingianis persuadere. Loquimur de virtute ac de religione; quibus vocibus si illi vulgarem et usitatam vim subjicerent, facile vincerentur. Nunc vero, cum illi misceant quadrata rotundis, cum eam Dei notionem informent, quæ ab hominum sermone longissime recedat, cum libertatem ac necessitatem idem significare dicant, eam vero, quam nos appellemus, libertatem nihil esse contendant, cum eam inducant immortalitatem, quæ omnibus hominibus, præter Mysticos, abitus in nihilum esse videatur, cumque in aliis plurimis rebus usum loquendi pervertant; fieri non potest, ut *Schellingius* ejusque sectatores adversariorum oratione moveantur, quandoquidem, cum utrique iisdem ver-

bis utantur, contrarias sæpe notiones iis subjiciunt (*s*). Itaque si quis *Schellingio* persuadere vult, ipsius doctrinam religioni ac virtuti noxiam esse, ipsa hujus doctrinæ fundamenta evertere debet atque docere, religionem ac virtutem a *Schellingio* voce poni, re tolli. Quod cum et ab aliis jam factum sit, et per hujus disputationis terminos fieri nequeat, illud mihi concedatur velim, ut, cum de religione, libertate cet. loquendum mihi sit, iis vocabulis communi et usitato sensu utar. Quis enim non intelligit, quam ineptum hic nobis ac ridiculum certamen esset orturum, si, ut hoc utar, efficere vellemus, *Schellingium* tollere libertatem nostræ naturæ ac necessitatem inducere, cum ipse, quam nos *necessitatem* appellemus, eam ipsam *libertatem* appellet (*t*)? Ne autem nimis erret ac vagetur oratio, omnem disputationem revocabimus ad *tria* loca, quibus omnis religio ac virtutis indoles: *moralitatem* appellemus: niti debet, quæque a *Kantio* rationis practicæ *pos-*

(*s*) Conf. *Suskindii Magaz. für Dogmat. und Moral*, P. XII. *p.* 136.

(*t*) Nullus concertandi finis est, si verbis arbitrarias notiones tribuere licet. Sed cavendum est, ne sonis decipiamur. Qui *fato* aut *casu* mundum ortum esse ac regi existimat, eum Atheum appellamus, etsi hoc, quod nos *fatum* aut *casum* dicimus, id ipsum ille *Deum* esse contendat.

tulata vocantur, *Deum* dico, *naturæ humanæ libertatem* et *immortalitatem animorum* (*u*).

(*u*) Hoc loco lectores bene meminerint velim, non quæri de *veritate* aut *falsitate* doctrinæ Mysticæ, sed de *utilitate* aut *noxâ*. Si de veritate aut de falsitate quæstio esset, aliter instituenda fuisset disputatio. Debuisset illa quæstio referri aut ad *universum* Mysticismum, aut *peculiariter* ad Schellingianum. Prius illud si fieret, hoc inquirendum esset: quæ est *Schellingio* cum ceteris Mysticis communis opinio: *num religionis mysteria ab hominibus cognosci possint?* Neque enim, qui in religionis doctrina *mysteria* inesse credit, continuo Mysticus est, sed qui se illorum mysteriorum *naturam immediate cognitam ac mentis oculis perspectam habere* jactat. Vid. *Boehme*, *Etwas über die Behauptung: Die Religion ist nothwendig Mystik:* in *Schuderoffs Neues Journal*, *viert. Jahrgang.* I *B.* I *St. p.* 12. Sin vero de *unius Mysticismi Schellingiani* veritate quæstio esset, illud esset disceptandum, num *absoluta cognitio*, sive *absolutum cognoscere* in hominem cadat? Conf. *Suskindii Magaz.* P. XI. *p.* 157 sqq. *Vogel* in *Gabl. Journal* V. B. I *St. p.* 26 sqq. *Boehme* l. c. *p.* 11, 17. Nunc vero non de *veritate* sed de *utilitate* quæritur, non universi Mysticismi, sed unius Schellingiani. Dicendum igitur est de iis recentioris Mysticismi *placitis*, quæ *Schellingio* propria ac peculiaria sunt, quibusque ejus doctrina a ceterorum Mysticorum doctrinâ distinguitur. Nam cum commune et omnis Mysticismi et Schellingiani consilium sit, *conjungi cum Deo*, intelligitur, hoc quidem nomine nullum inter Mysticos discrimen intercedere; omne autem discrimen positum esse in *placitorum* diversitate. Omnes Mysticorum sectæ adspirant ad conjunctionem cum Deo; sed si alia secta Deum ignem esse putet, alia lucem, alia oceanum, alia Absolutum, de singulis, separatim a reliquis, judicari non potest, nisi quatenus alia

Quamquam de religionis causa magna philosophorum inter se dissensio est, hæc tamen una omnium sententia est, Deum esse naturam *moralem*. Sive, ut plerisque placet, moralitas a religione, sive, ut *Kantius* vult, hæc ab illa proficiscatur, omnes moralem Dei naturam ita agnoscunt, ut, hac sublata, ipsam religionem tolli verissime judicent. Nos igitur, ne in re aperta consumatur oratio, breviter videamus, qualem *Schellingius* Deum inducat, ut intelligatur, num illud numen dignum sit, quod religioso cultu prosequamur. Et illud quidem cuique perspicuum esse arbitror, in Theologia *Schellingiana*, quam exposuimus Capite superiori, nullam apparere naturæ divinæ moralis umbram, nullum vestigium. Absolutum illud sit Aliquid an Nihil sit, nescio: utrumque enim verissime dici postest: hoc scio, nec justitiæ, nec sanctitatis, nec bonitatis, nec ullius omnino virtutis notionem in Deum istum *Schellingianum* cadere. Neque per *Identitatis* doctrinam aliter

---

aliam Dei notionem informet, quam alia. Similiter ergo, si quæritur, non utrum *universus*, sed utrum *Schellingianus* Mysticismus religioni ac virtutis studio prosit an obsit? necesse est ad hanc quæstionem ita respondeatur ut videamus, quid *peculiariter* sentiat *Schellingius* de iis placitis, quæ necessario religionis ac virtutis notione continentur, sive, quid Mysticus Schellingianus de Deo, de libertate arbitrii, de animorum immortalitate statuat et disciplinæ suæ convenienter statuere debeat?

res se habere potest. Si enim in Absoluto omnia *eadem* sint, nec ulla sit rerum contrariarum oppositio, intelligitur nullum esse *per se* boni ac mali, virtutis ac vitii discrimen (*v*). Quæ rationis conclusio ne invidiæ aliquid habere videatur, ipsa apponam *Schellingii* verba, quibus Deum naturam moralem esse, diserte neget (*w*). Quod ipsum cum jam satis declaret, a *Schellingii* doctrina quam bella religio manare debeat, tamen pauca adjiciamus, quibus id magis etiam patefiat. In libro: *De natura libertatis humanæ* (*x*): mirabiliter philosophatur. Agit de *fundamento existentiæ Dei:* ita autem agit, ut multis impia ejus visa sit sententia (*y*). Quandoquidem enim Deus duplici ratione considerari potest, cum ut est *per se*, tum ut in rerum natura *se manifestavit*, mul-

---

(*v*) Vid *F. Köppen*, *Schellings Lehre*, *oder das Ganze der Philos. des absoluten Nichts*, *p.* 201.

(*w*) *Schelling* in *Niethamm. und Ficht. Phil. Journ. B.* II. *p.* 180. » Jene Idee eines moralischen Gottes hat schlechter-» dings keine æsthetische Seite: aber ich gehe noch weiter, » sie hat nicht einmal eine philosophische Seite, sie enthält » nicht nur nichts Erhabenes, sondern sie enthält überhaupt » Nichts, sie ist so leer, als jede andre anthropomorphisti-» sche Vorstellung.''

(*x*) *Ueber das Wesen der menschlichen Freyheit und die damit zusammenhängenden Gegenstände.* In *Schell. phil. Schriften*, *B.* I. *p.* 397. sqq.

(*y*) Vid. *J. F. Krause in Köningsberg. Archiv für Philos. Theol.* oct. 1811. *Part.* II. *p.* 265. sqq.

ti sententiam *Schellingii* ita interpretati sunt, quasi de Deo sermo esset, *utroque hoc sensu.* Quorum si vera esset interpretatio, in Deo, auctore *Schellingio*, esset aliquod principium, non quidem ab eo separatum, sed tamen ab eo diversum, ipso Deo quodammodo prius et antiquius, quippe a quo Deus manaverit, non tantum Deus ille in rerum natura se manifestans, verum etiam per se existens. Fatendum tamen est, *Schellingium*, si in eo, quem citavimus, libro non satis perspicue locutus sit, in alia tamen scriptione sententiam suam ita explicuisse, ut appareat, eum non de Deo, sive de Absoluto, *per se* existente, sed de Deo, *in rerum natura se patefaciente*, loqui (*z*). Itaque illud demus, ne injuriam facere acutissimo viro videamur. Quæritur autem, quale sit illud fundamentum Dei, *in rerum naturâ se manifestantis?* Docet *Schellingius*, quod etiam res ipsa

---

(*z*) *Algem. Zeitschrift von Deutschen für Deutschen*, pag. 98. » Das Urwesen oder die uranfängliche und absolute ewige Gottheit setze ich *vor* und *über* allem Grunde, » und rede in dieser Beziehung immer von dem Grunde, als » von einem Princip, das Gott in sich — in seinem Urwesen hat. Es ist also falsch, dasz Gott überhaupt und in» distinkte aus dem Grunde hervorgehe, d. h. seinen Ur» sprung aus dem Grunde nehme.'' Plura ad confirmandam hanc Schellingianæ sententiæ interpretationem attulit Anonymus, *Betracht. über den gegenwärtigen Zustand der Philos. p.* 147. sqq.

loquitur, hoc fundamentum positum esse in Deo *per se existente.* Ita autem philosophus illud fundamentum definit, ut intelligi satis nequeat, quomodo Deus, in quo ejusmodi aliquod principium reperiatur, dignus esse aliquo cultu possit. *Schellingius* illius fundamenti *characterem* appellat *cupiditatem Dei*, *se ipsum pariundi.* Sed nolo me ipse vertendo excarnificare: itaque ipsa *Schellingii* verba infra referam (*a*). Quamquam autem ista verba magnam offensionem habere, nec satis digna esse immortalis Dei naturâ videntur, tamen, ut nostræ ætatis homines libenter novas dictiones cudunt, hæc etiam venia detur, ut, quod nos placitum, decretum, voluntatem divinam appellamus, id alii *cupiditatem* appellent, sive *desiderium*, sive quocunque demum alio modo illud vo-

---

(*a*) *Ueber das Wesen der menschl. Freyh. p.* 431. » Da » nichts ausser Gott seyn kan, so — haben die Dinge ihren » Grund in dem, was in Gott selbst *nicht Er selbst ist.* » Wollen wir uns dieses Wesen menschlich näher bringen, » so können wir sagen: *es sey die Sehnsucht, die das ewige* » *Eine empfindet, sich selbst zu gebähren.*" Et in *Allgem. Zeitschr. p.* 94. » Es ist in Gott ausserdem, was in ihm » eigentlich *Er Selber ist*, ein anderes, von diesem verschie- » denes, ob wohl nicht abzutrennendes Princip, dessen Cha- » rakter *Sehnsucht* ist, und zwar bestimmt Sehnsucht, das » Göttliche in sich zu *empfangen* und *darzustellen.* Es ist » das einzige Werkzeug der Offenbarung und Aktualisirung » des eigentlichen Subjectes oder Seyenden. Sehnsucht ist » sein Charakter ect."

cibulum *Sehnsucht* verti placeat. Illud autem quo tandem pacto ferri potest, hoc principium, in quo ea cupiditas insit, prorsus *brutum* esse ac *rationis expers?* Et nos quidem etiam Deo tribuimus *voluntatem* condendi mundi, sed eam voluntatem, quam summa *ratio* ac *sapientia* moderata sit. Quod quamquam propter linguæ egestatem ingeniique imbecillitatem humano more dicimus, tamen in Deo esse aliquid statuimus, quod nostræ voluntati ac rationi *analogum* sit. *Schellingius* autem huic principio *voluntatem* tribuit, *rationem* non item. Quod si autem rationem sustulisset propterea, quod vereretur, aliquam sermonis humani notionem in Deum transferre, tollere etiam voluntatem debuisset. Nunc vero cum voluntatem relinquat, rationem demat, hoc ipsum argumento est, in hac eum sententia versari, principium se manifestandi, quod in Deo insit, i. e. ut nos loquimur, condendi mundi, hoc igitur principium esse *brutum et effrenatum impetum*, nullis rationis habenis rectum aut temperatum (*b*). Et ne hæc quidem ultima est et extrema amentia. Idem illud fundamentum, in quo ea cupiditas sive desiderium inest, idem illud, inquam, simul est fun-

---

(*b*) *Zeitschr. p.* 99. » Das *irrationale*, für sich *verstandlose* Princip in Gott ist für ihn Grund, d. i. Grundlage, » Bedingung, Medium der Offenbarung seines nur in sich » seyenden Subjectes, oder Bedingung seiner äusserlich wirkenden Existenz.«

damentum *mali* et *peccati*. Atque hinc intelligitur, quare, relicta voluntate, rationem tollat *Schellingius*. Cæca enim et rationis expers voluntas quovis ferri potest, nec ulla causa est, cur bonum potius, quam malum expetat. Re vera autem eam, quam diximus, *Schellingii* esse de malo sententiam, ex iis intelligitur, quæ de *divina mali permissione* disputat, quam ille ita interpretatur, ut *duas* esse in Deo voluntates statuat, alteram *fundamenti*, *amoris* alteram, quarum hæc si illi adversaretur, suam ipsa naturam exueret, nec amplius esset *amoris* voluntas. Hæc igitur est divina mali permissio, quod voluntas amoris non opprimat ac compescat voluntatem fundamenti: quod ipsum indicio est, posteriorem hanc voluntatem, sibi relictam, in malum etiam ferri (*c*). Sed hæc

---

(*c*) *Ueber das Wesen der menschl. Freih. p.* 434. » Der » Wille der Liebe und der Wille des Grundes sind zwey » verschiedene Willen, deren jeder für sich ist: aber der » Wille der Liebe kann dem Willen des Grundes nicht wi- » derstehen, weil er sonst sich selbst widerstreben müsste. » Denn der Grund muss wirken, damit die Liebe seyn » könne, und er muss unabhängig von ihr wirken, damit » sie reëll existire. Wollte nun die Liebe den Willen des » Grundes zerbrechen, so würde sie gegen sich selbst strei- » ten, mit sich selbst uneins seyn, und wäre nicht mehr » die Liebe. Dieses Wirkenlassen des Grundes ist der ein- » zig denkbare Begriff der Zulassung, welcher in der ge- » wöhnlichen Beziehung auf den Menschen völlig unstatt- » haft ist."

sufficere arbitror. Qualem *Schellingius* religionem cupiat, ipse viderit. Illud scio, si religionis vox communi et usitato sensu accipiatur, nihil magis a religione alienum esse posse, quam illius Dei notionem, qui neque *moralis indolis* sit, et *cæco rationisque experte impetu* ad agendum feratur, et eodem illo impetu *malum* ex se pariat (*d*).

Hæc de Deo ac de religione: videamus de *arbitrii ac voluntatis libertate*, sine qua non tantum virtus, sed ne vitium, quidem esse potest. Magna hic rursus opinionum varietas est. Qui *Schellingium* sequuntur, vehementer clamant, nihil iniquius in hunc beatæ vitæ architectum dici posse, quam tolli ab eo libertatem (*e*). Et recte quidem, si *Schellingii* sermone utare. Si enim eatenus tantum *sumus*, quatenus in Absoluto sumus, Absolutum autem liberum est, eos etiam, qui in Absoluto sint, liberos esse, necesse est. Sed hæc ipsa libertas rursus mirabile quid et inusitatum est. Cum enim in Absoluto eadem sit libertas, quæ *necessitas*, sequitur nostram etiam libertatem, quatenus in Absoluto simus, nihil aliud esse, quam *necessitatem*. Hic est peculiaris *Schellingii* sermo:

(*d*) Conf. etiam *D. Jenisch*, *Kritik des dogmatischen*, *idealistisch. und hyperideal. Relig. und Moral-Systems*, *p.* 182.

(*e*) Vid. v. c. *Betracht. ueber den gegenw. Zust. der Philos. p.* 151.

communi usu loquendi ut atra albis, sic necessitas libertati contraria esse censetur. Sed operæ pretium est, hujus libertatis indolem paulo accuratius cognoscere. Si hæc vera est humanæ naturæ libertas, qua nosmet ipsi moderemur, agamus ut placeat, nec externa aliqua necessitate nos pelli aut cogi patiamur, omnino quodammodo hanc libertatem tribuere *Schellingius* nobis *videtur*. Sed *videtur* tantum. Scilicet cum naturalem quandam in nobis, i. e. *originalem* vitiositatem agnoscat, hanc labem nosmet ipsos nobis contraxisse contendit *liberâ quadam et intelligibili actione*. Hæc actio nihil aliud est, quam illa ab Absoluto *defectio*, de qua superiori Capite diximus. *Schellingius* enim eam actionem priorem esse et antiquiorem docet, quam præsentem nostram vitam *empiricam*, i. e. *personalitatem* nostram, illiusque actionis libertatem nihil commune habere cum ea libertate, quam nobis, tamquam *personis*, tribuamus (*f*). Itaque libere peccavimus antequam, ut personæ, in lucem ederemur aut in cunis vagiremus. Jam si quæratur, quomodo fieri *potuerit*, ut ab Abso-

---

(*f*) *Ueber das Wesen der menschl. Freyh. p.* 472. » Das » ursprünglich Böse im Menschen ist, obgleich im Bezug auf » das jetzige empirische Leben, ganz von der Freyheit unab- » hängig, doch in seinem Ursprung eigne That, und darum » allein ursprünglische Sünde." Conf. de hac sententia *Bengelii Archiv.* II. 2. *p.* 462.

luto deficeremus? *Schellingius* illius *possibilitatis* causam sive fundamentum positum esse dicit in libertate, atque propterea in Absoluto (*g*). Itaque rursus de commenticia illa Absoluti libertate sermo est, quæ simul sit necessitas. Quod autem philosophus illius defectionis *possibilitatem* ab *ipsa defectione* distinguit, atque illius causam in libertate Absoluti, hujus vero in eo ipso, quod defecit, ponit (*h*), id non satis intelligi potest, quomodo consentaneum sit illi sententiæ, in Absoluto *posse* et *esse* idem significare (*i*). Sed esto! libere peccaverimus, sive defecerimus, ab Absoluto, atque propterea, si placet, *liberi* esse dicamur, illud præsertim doctrinæ moralis interest, in *hoc defectionis statu*, i. e. *post* primam illam liberam actionem, qualem nobis *Schellingius* libertatem relinquat? Nondum loquimur de libertate *personarum*: sed hoc quærimus, si illud *Schellingio* concedimus, nos eatenus tantum liberos esse, quatenus simus in Absoluto, qualis

---

(*g*) *Philos. und Rel. p.* 38. » Der Grund der *Möglichkeit* » des Abfalls liegt in der Freyheit und, in wiefern diese » durch die Einbildung des absolut Idealen in das Reale » gesetzt ist, allerdings in der Form und dadurch im Abso- » luten."

(*h*) Ita pergit. l. c. » Der Grund der *Wirklichkeit* ist » aber einzig *im Abgefallnen selbst.*"

(*i*) Vid. *Bruno*, *p.* 59, 65. sqq. et *Vogel* in *Gabl. Journ.* *l. c. p.* 36.

sit in præsenti nostro statu illa libertas? Hoc quærimus, an is, qui patrem interimat, *eadem* libertate peccet, qua ab Absoluto defecerit? Hic rursus singularis a philosopho et inaudita libertas inducitur. Cum enim ita, ut diximus, de naturali hominum vitiositate disseruisset, venit ei in mentem, fieri ex ipsius sententia non posse, ut homo, in hac certe vita, sive in bonam sive in malam partem mutetur. Hanc difficultatem ut effugiat, dicit homini opus esse sive humano sive divino auxilio. Quod ipsum cum libertati obesse videretur, hanc libertatis notionem informat, ut eam ponat in *patiendo*, i. e. in eo, quod illius sive externi auxilii, sive interni *principii* vim et efficacitatem *excipiamus*, eâque nos moveri *patiamur*, nec a nobis propulsemus. Similiter ad pravitatem et in malam partem libertate abutimur, si malo aut *Genio* aut *Principio* nos duci patiamur, nec resistamus. Istud autem *pati* liberum est ac voluntarie suscipitur: i. e. illa patiendi libertas est, ut dicitur, *sequela* primæ illius et liberæ et intelligibilis actionis, ex qua naturalis vitiositas fluxit. Peccavimus quasi sub ea *conditione*, ut aliquando sive in bonam, sive in malam partem nos libere duci sineremus (*k*).

(*k*) *Ueber das Wesen der menschl. Freyh. p.* 473. » Dies, » dasz der Mensch dem guten Geist jene Einwirkung ver-

Sed nos quidem non alio consilio hæc paulo copiosius enarravimus, nisi ut curiosis inserviremus, qui scire cuperent, qualis tandem a *Schellingio* libertas relinqueretur, sublata libertate *personarum*, i. e. *personali.* Perverti in hac doctrina communem libertatis notionem, quisque videt: neque virtuti, quæ quidem hominum sermone ita appellari soleat, aliquem locum relinqui, quamquam ex iis, quæ jam diximus, satis perspicuum est, tamen mox etiam magis declarabitur.

Scilicet ex iis, quæ et paulo ante, et Capite superiori disputavimus, satis intelligi arbitramur, vere a nobis dictum esse, *Schellingium* tollere propriam nobis ac peculiarem libertatem, i. e. eam, quam nobis, tamquam *personis* ac *naturis individuis*, tribuere soleamus. Si enim eatenus tantum *vere* sumus, quatenus in Absoluto sumus, quatenus autem ab eo defecimus, i. e. quatenus *personæ* sumus, revera *Nihil* sumus, sequitur,

---

» stattet, sich nicht positiv verschliest, liegt ebenfalls schon » in jener anfänglichen Handlung, durch welche er dieser » und kein andrer ist — Es ist im strengsten Verstande » wahr, dasz, wie der Mensch überhaupt beschaffen ist, » nicht er selbst, sondern der gute oder böse Geist in ihm » handelt; und dennoch thut dies der Freyheit keinen Ein- » trag. Den eben das in-sich-handeln-Lassen des guten oder » bösen Princips ist die Folge der intelligibeln That, wo- » durch seyn Wesen und Leben bestimmt ist." Conf. *Krause in Königsb. Archiv. l. c. p.* 272. sq.

omnia etiam attributa, quæ nobis, tamquam *personis*, assignare soleamus, adeoque *libertatem* etiam *personalem*, Nihil esse (*l*).

Jam facile intelligitur, notionem virtutis, quæ hac doctrinâ, tamquam fundamento, nitatur, a communi virtutis notione admodum discrepare debere. Cum enim usitato philosophorum sermone is virtutis studiosus esse dicatur, qui legi morali parere studeat, hæc quidem notio in *Schellingii* doctrinam prorsus non cadit. Hoc ille ultimum, hoc extremum esse vult, quo referri omnia debeant, ut *Deo reconciliemur*. Quæ reconciliatio ita a *Schellingio* informatur, ut ad eam libertas, quæ singularum personarum sit, non requiratur. *Expiari* enim vult illam ab Absoluto defectionem. Cujus præcepti hæc vis est, ut *apparens illa existentia*, quam nobis ut *personis* tribuamus, *evanescat* et *intereat*, utque in Absolutum, a quo defecerimus, tamquam in centrum, redeamus (*m*). Hæc autem expiatio fieri a nobis, qua-

---

(*l*) Hæc copiose exponuntur in *Suskundii Magaz. P.* XII. *p.* 119. sqq. Quæ auctor Anonym. in libro: *Betracht. über den gegenw. Zust. der Philos. p.* 151. sqq. ad tuendam *Schellingii* de libertate sententiam affert, satis docent, omnem ab eo *personarum* libertatem tolli.

(*m*) *Krit. Journ. der Phil. von Schelling und Hegel*: *B.* I. *St.* 3. 22. » Sittlichkeit im Prinzip ist Befreyung der Seele » von dem Fremd-und Stoffartigen, Erhebung zum Bestimmt- » seyn durch reine Vernunft (i. e. absoluter Identität) ohne

tenus *personæ* sumus, non potest. Eatenus enim Nihil sumus: Nihil autem nihil agere potest, nedum semet ipsum interimere. Præterea, non est *vera* libertas, quam nobis, ut *personis*, assignamus. Etiamsi igitur, ut *personæ*, efficere possemus, ut *personalitas* nostra evanesceret, careret tamen illa virtus *vera libertate*, i. e. non esset virtus, quam nos quidem ita appellemus. Itaque si fieri a nobis illa expiatio debet, non fieri a nobis potest, quatenus *personæ* sumus, sed quatenus in Absoluto sumus. Atqui ipsum illud *a nobis*, *a me*, *a te*, cum Absoluti notione pugnat. Inest enim in illa dictione *personarum* significatio. Absolutum igitur ipsum illam expiationem efficere debet, i. e. id agere debet, ut *apparens nostra existentia*, *personalitas nostra*, evanescat. In quo negotio nullæ sunt *nostræ* partes: nam istud *Nos* nihil est. Omnis illa expiatio ab ipso Absoluto efficitur, i. e. ab absoluta libertate, quæ simul absoluta necessitas est. Hæc igitur Schellingiana virtus est, ut Absolutum personis nostris interitum afferat: id est, Schellingiana virtus virtutem, quæ communi usu loquendi ita dicitur, perimit. Philosophus *nos* tollit, *libertatem* nostram *personalem* tollit eamque in Absolu-

---

» andre Beymischung.'' Præclare de hac sententia disputatur in *Bengelii Archiv.* II. 2 *p.* 464. sqq.

tum transfert, eandemque esse dicit ac necessitatem. Quæ omnia a communi virtutis notione alienissima sunt, quippe in qua sumatur, et personas non esse, et libertate præditos, et ea quidem libertate, quæ necessitati opposita sit. Ex quo hoc perspicuum est, *Schellingii* doctrinam non tam noxiam esse, quam potius mortiferam virtuti, si quidem hæc vox ita accipiatur, quemadmodum præter *Schellingium* ejusque sectatores, ab omnibus hominibus accipi solet (*n*).

Jam ex iis, quæ diximus, nemini obscurum

(*n*) Hæc rursus uberius explicantur in *Suskundii Magaz.* l. c. *p.* 127. sqq. ubi etiam demonstratur, ex *Schellingii* sententia non tantum ipsam expiationem a nobis, ut personis, effici non posse, sed ne *conari* quidem nos posse, cum Deo in gratiam redire. Ceterum ipse *Schellingius* veritus esse videtur, ne ipsius doctrina propterea minus probaretur, quod bellum indiceret virtuti. Certe in libro: *Philos. und Rel. p.* 59. vehementer negat, aliquod philosophiæ systema hoc nomine, quod illud virtuti inimicum sit, rejici oportere. De quo graviter scribit *Stäudlinus* in libro: *Lehrbuch der Dogmatik und Dogmengesch. p.* 179. 3tia ed. Gött 1809. » Es kann keinen stärkern und entscheidendern Grund wider » die Wahrheit einer Philosophie geben, als den, dasz sie » alle Moralität zerstört, und wenn die Philosophie nicht » einmal dieses rettet, so ist sie nicht mehr Philosophie, so » mag sie alles Uebrige für sich behalten, wir wollen sie » nicht. Die Sittlichkeit ist unsre Würde, unser Werth, » unser Höchstes, unser Gewissestes, unser algemeines Gut, » das algemein verständlichste und klarste, was wir durch » Vernunft einsehen."

esse potest, quæ sit *Schellingii* de *animorum immortalitate* sententia; neque necesse est, ut in hoc argumento diu versemur. Quam omnes homines *immortalitatem* appellant, eam *Schellingius poenæ* loco habet. Omnes enim, cum de immortalitate loquuntur, hoc volunt, nos, ut in hac vita, sic etiam post corporis interitum, *individuas naturas*, sive *personas*, esse futuros. Atqui hoc ipsum, *personas esse*, i. e. *defecisse ab Absoluto*, videtur *malum* esse philosopho ac *supplicium* (*o*). Contra, cum Absoluto in gratiam redire, i. e. *desinere personas esse*, quod nos *interire* appellamus, hæc est *Schellingiana immortalitas* (*p*). In quo rursus

---

(*o*) *Klein* apud *Vogel*, in *Gabl. Journ.* l. c. *p.* 19. » Der » Bösen Strafe ist sein entfernter Standpunkt von Gott."

(*p*) Vid. *Philos. und Rel. p.* 72. quem locum apposuit *Vogel* l. c. Conf. etiam. *Köppen*, *Schellings Lehre p.* 194. Prorsus igitur non intelligo, quo jure Auctor libri: *Betracht. uber den gegenw. Zust. der Philos. p.* 157. ad *Schellingianam* religionis doctrinam referre etiam potuerit » *die* » *Gewissheit unserer persönlichen Fortdauer.*" Et tamen illum Auctorem serio loqui, apparet ex iis, quæ scribit ibid. *p.* 159. Sed hoc auctori relinquimus. Illud scimus, *Reilium*, clarum in Germania Medicum, Schellingii doctrinâ commotum, in Opere posthumo, *Entwurf einer allgemeinen Therapie*, edito a *Kruckenbergio*, *p.* 580. de *personali* animorum immortalitate desperare. Equidem sine horrore legere non potui, quæ de *Reilii* causa scripserunt *Candidus* et *Hufeland*, in *Journal der pract. Heilkunde*, *von C. W. Hufeland et J. C. F. Harles*, 1816. *Part.* VII Julii, *p.* 110. sqq. ubi etiam recte animadvertitur, Schellingianum philo-

videmus, philosophum verbum ponere, rem tollere, nec rem tantum, verum etiam *virtutis studium*, cum communi immortalitatis notione conjunctum. Qui enim philosophi immortalitatis doctrinam cum morali hominum natura conjungere aut ad virtutis commendationem adhibere solent, duplici fere ratione utuntur. Alii sic argumentantur, cum in hac vita bonis sæpe male, pravis bene sit, sequi, in aliam nos vitam hinc migraturos, ubi illos justa virtutis præmia, hos supplicia maneant. Alii vero, id est *Kantius* et qui eum sequuntur, ita disputant, ad obedientiam, legi morali præstandam, requiri *infinitam accessionem*, i. e. immortalitatem. Utrique virtutis studium adjuvant. Illi fortunæ iniquitatem, hi moralis præcepti severitatem, immortalitatis spe consolantur. Sed apparet, utrosque loqui de immortalitate *personarum*, quâ sublatâ, omnis eorum inanis oratio sit. Hanc immortalitatem *Schellingius* contemnit, atque in ejus locum aliam substituit, monstrosam illam et inauditam, quæ nullum omnino virtutis incitamentum habeat (*q*).

II. Sequitur, ut dicamus de *religione in poësin conversa*, sive de *Mysticismo Poetico*. Supra

---

sophum, si sibi constare velit, aliter, quam *Reilium*, sentire non posse.

(*q*) Hoc facile intelligitur ex iis, quæ paulo ante de *libertate* disseruimus.

docuimus, *Schellingii* Mysticismum propterea ad poesin accedere, quia nitatur *phantasiâ*, sive *Intuitione Absoluti.* In quo hæc doctrina partim aliquid sibi peculiare habet, partim cum reliquorum Mysticorum doctrina commune. Hoc commune, quod ut omnis reliquus Mysticismus, duabus partibus continetur, *sensu* et *phantasiâ.* Illud peculiare, quod in *Schellingii* Mysticismo *phantasia* dominatur, quam *sensus* sequitur, cum apud ceteros fere sensus phantasiam pariat. *Schellingiani* primum intuentur Absolutum, tum hac *Intuitione* affectos se sentiunt. Reliqui fere primum afficiuntur, tum ad causam affectionis, i. e. ad Deum se efferunt.

Schellingius igitur religionem *poesin* esse vult, atque *phantasiâ* contineri. Qui si ita dixisset, *nullam religionem phantasiâ carere posse*, recte dixisset. Notiones enim, in quibus religio versatur, ejusmodi sunt, ut rationis captum et intelligentiam superent, quales sunt notiones Infinitatis, Aeternitatis, omniumque rerum intelligibilium, extra tempus et spatium positarum. Itaque *symbolis* utendum est, quæ exaggeret et amplificet et ex angustiis Experientiæ educat phantasia. Neque quisquam religiosus homo est, qui non sæpius usu cognoverit, quantum in religione phantasia valeat. Cum in Dei et immortalitatis cogitatione defixus animus hanc terrenarum atque caducarum rerum colluvionem despicit, atque unice ea, quæ cælestia et æterna sunt, comple-

citur eorumque meditatione se pascit; cum opes, cum voluptates, cum honores aspernatur et contemnit, atque nihil, quod cum hac vita intereat et amittatur, hominis curâ magnopere dignum censet; quis nescit tantam animi elationem et magnitudinem sine phantasia esse non posse (*r*)?

Sed aliud quid est *religionem phantasiâ carere non posse*, aliud, *phantasiam esse fundamentum religionis*, ut notiones, quibus religionis doctrina contineatur, non a *ratione*, sed a *phantasia*, profectæ sint. Potest sane phantasia se jactare in Ideis religionis, easque, ut placuerit, varie exornare, ipsas profecto Ideas non *phantasia*, sed *ratio* parit. Quod in ipso *Schellingio* intelligi potest. Is enim cum intellexisset, principium philosophiæ neque *objectivum* neque *subjectivum* esse, arripuit Ideam Absoluti. Hoc autem quid tandem aliud est quam *ratione* et *argumentatione* uti? Si autem *Schellingius* ita dixerit, Absoluti quidem *Ideam* ratione, ejus vero *cognitionem* et *intelligentiam* phantasiâ niti, negamus, quid aut quale sit Absolutum? aut phantasiâ aut ratione etiam, cognosci posse (*s*). Nos

---

(*r*) *G. C. Müller*, *Protestantismus und Religion p.* 26 sq. 84.

(*s*) Id est, ut Logici, loquuntur, non cadit in hominem *adæquata Idea Dei*, sive *Absoluti:* vid. *Vater in Köningsb. Arch.* 1812. *P.* III. *p.* 380. *Müller* l. c. *p.* 32. sqq. *Bachmann*, *Ueber die Philos. meiner Zeit*, *p.* 216.

autem eam rem hoc loco tractare non possumus, cum non quam *vera* sit aut *falsa Schellingii* doctrina, sed quam *utilis* aut *noxia*, quæratur. Sed eadem hic rursus disputandi difficultas est, quam supra memoravimus. Aliæ sunt *Schellingianæ*, aliæ *communes* rerum notiones. Nobis si aliquid in *Schellingii* doctrina falsum, incertum, noxium videatur, ad *communem* loquendi usum judicium nostrum dirigimus. Quodsi *Schellingii* notiones sequamur, aliter judicandum sit. Si enim, ut hoc utamur, effici posset, *Schellingianam* religionis doctrinam *cum ratione pugnare*, satis quidem hoc apud ceteros homines valeret, cum illi in religionis causa non rationem, sed phantasiam, esse sequendam statuant. Itaque ne in infinitam disputationem nos conjiciamus, rogatos volumus lectores, ut communi loquendi usu, communibusque notionibus contenti sint. Neque enim vos, Viri Eruditissimi, cum, utrum utilis an noxia esset hæc doctrina, quærebatis, alias utilitatis aut noxæ notiones informabatis, quam quæ communi sermone usurparentur.

Primum igitur, si de religione *objectiva* quæratur, perniciosissima nobis videtur *Schellingii* sententia, quod ille nullam *rationi* in religionis causa auctoritatem tribuit. Res ipsa loquitur, non esse hujus scriptionis, patrocinium rationis adversus *Schellingium* suscipere. Qui quidem locus adeo tritus et communis est, ut, qui eum

tractaverint, innumerabilis sint. Neque nos hoc loco tam id agimus, ut philosophum reprehendamus, quod rationem contemnat, quam potius, quod in ejus locum substituat phantasiam. Mentem et cogitationem parumper a *Schellingio* avocemus, atque fingamus ita nobis narrari, esse aliquem philosophum, qui religionis doctrinam ratione cognosci posse neget. Hoc si nobis narraretur, continuo existimaremus, illi philosopho omnem religionem incertam, fortasse etiam commenticiam, videri. Quod si ita ad nos perferretur, ei philosopho, etsi rationem nihili faciat, tamen de religionis veritate persuasissimum esse; arbitraremur, sermonem esse de religione *divinitus patefacta*, quæ Sacro aliquo Codice contineretur. Si et hoc negaretur, acciperemus autem, omne persuasionis firmamentum ab eo poni in *phantasia*, stuperemus profecto, nec tantam amentiam in quenquam, nedum in philosophum, cadere posse, judicaremus. Nihil autem magis optaremus, quam ut illa sententia deserta esset, ac nullos patronos nancisceretur. Quis enim nescit, in omni negotio nihil periculosius esse effrenatâ phantasiâ, quæ rationis imperium detrectet (*t*)? Et quoniam religionem poesin esse volunt, quis nostrum poetam ferat, cujus phanta-

(*t*) *Reinhard*, *Syst. der chr. Moral*, *Tom.* I. *p.* 474 sqq.

siæ non moderetur ratio? Aut quid ipsi arti poeticæ perniciosius esse potest, quam illa fingendi licentia et impunitas, quæ nullis rationis legibus, tamquam frenis, coerceatur (*u*)? Omnino in re apertiori versamur, quam ut longa adhibenda videatur oratio, cum omnium fanaticorum historia satis doceat, quorsum ruat phantasia, si rationi obsecundare recuset (*v*). — Esto autem! modesta sit phantasia, neque nimis exsultet. Quærimus, quæ sit ejus *auctoritas*, quæ *fides*? *Schellingius* certe, cum rationem nobis eriperet, ejusque in locum phantasiam substitueret, docere debuerat, hujus auctoritatem esse illius testimonio anteponendam, Tantum autem abest, ut hoc probaverit, ut potius, nullo argumento, sumserit. Concedimus quidem, si oculis mentis cerni Absolutum posset, nihil hac Intuitione Intellectuali præstantius, nihil certius fore. Sed hoc ipsum ambigitur. Negant reliqui homines, cerni Absolutum posse; qui autem illud *intueri* sibi videantur, eos in errore esse, et nubem pro Junone arripere, contendunt. Et cum in ceteris rebus omne de vero aut de falso judicium non phanta-

---

(*u*) *A. Simons*, *Redevoering over den waren Dichter*, *p.* 32. sq. coll. *J. G. Sulzer*, *Verm. philos. Schr. p.* 315.

(*v*) Noxas hujus erroris persequitur *J. Stinstra*, in libro: *Lettre Pastorale contre le Fanatisme*, *p.* 24. sqq.

siæ, sed rationi relinquant, jure suo postulant, ut aut perverse se facere, demonstretur, aut, si recte faciant, causa afferatur, cur in una religionis doctrina plus phantasia, quam ratio, valere debeat. Ut paucis rem complectamur. Ante *Schellingium* nemo fere philosophorum in veri falsique judicio quicquam phantasiæ tribuerat. Ille maximam ei auctoritatem tribuit. Hoc igitur omnium primum agere debuerat, ut ceteros philosophos errare, se unum recte sentire, efficeret. Quid fecit? Nihil attulit. Quo argumento Intuitionis Intellectualis auctoritatem fundavit? Nullo. Itaque *incertam* ab eo factam esse religionis causam, contendimus, ac *nullo fundamento nixam.*

Jam de illorum sententia quid judicemus, qui *Christianam* quoque religionem Poesin esse dicunt? Quorum oratio, difficile dictu est, quomodo interpretanda sit. Illud si velint, religionis Christianæ argumentum non jejune ac frigide, sed cum animi quodam sensu atque cum phantasia esse tractandum, quid tandem novi et inusitati afferunt (*w*)? Omnino sive historicam, sive dogmaticam partem spectemus, ea religionis Christianæ indoles est, ut poesis — utamur enim

---

(*w*) Recte *G. C. Müller*, l. c. *p.* 103. » Unsere Zeit gefällt » sich einmal darin, die Dinge anders zu benamen, und je » frappanter, desto erwünschter."

hoc vocabulo — ei commode adhiberi queat. Ipsa optimi Servatoris persona est quoddam naturæ divinæ symbolum. Quæ ille gessit, quæque perpessus est, ea, quamvis in sensus cadunt, tamen quodammodo declarant rerum intelligibilium vim et naturam. Qui igitur non in rebus historicis et quasi sensibilibus subsistit, sed earum tamquam ductu ad sublimiora effert se atque hæc complectitur, ille dici potest, religionem Christianam *poetice tractare* (*x*). Sed hoc longe aliud quid est, quam *ipsam religionem Chr. poesin* esse, existimare, i. e. *totum ejus argumentum fictitium* esse. Hæc si illius paradoxi vis et significatio sit, apparet, non tantum religione Christiana nihil indignius dici posse, sed eam penitus tolli. Argumentum illius religionis positum est in *doctrina* et in *historia*, quas si poesis pepererit, fabula relinquitur. Quod quid aliud est, quam ipsam religionem Chr. tolli? Omnis enim ejus dignitas pendet ex auctoritate Jesu ejusque Apostolorum, qui, ut hanc doctrinam humano generi impertiantur, divinitus se legatos dicunt.

Si quis secum reputet, quæ sit religionis *objectivæ* et *subjectivæ* conjunctio, facile intelligat, illâ labefactatâ, hanc satis salvam esse non posse.

(*x*) Egregie in hoc argumento versatus est *G. C. Müller*, l. c. *p.* 81. sqq.

Quod præsertim in hac *Schellingiana* causa valet. Concedamus enim, vim et efficacitatem religionis non semper pendere ex pondere ac veritate argumentorum, quibus alicujus de religione persuasio nitatur: etenim ad salubrem religionis vim sentiendam non tam requiritur, ut ipsa argumenta firma sint, sed ut nobis de eorum firmitate persuasum sit: hoc igitur concedamus, quis tandem hoc nomine *Schellingianam* de religione doctrinam tueri audeat? Ego certe eam esse naturam humanam sentio, ut nemo sanæ mentis sibi vere et ex animo persuadere queat, phantasiæ, non dico tantam, quantam *Schellingius* jactat, sed omnino aliquam esse auctoritatem tribuendam. Non negamus, qui animi quodam impetu concitantur, ut poetæ, illos interdum in tantum furorem rapi, ut non solum, quid verum falsumve sit, non cernant, sed etiam, quid inter utrumque intersit, ne cogitent quidem. Postquam autem vehemens ille motus resederit, atque animus ad solitam se constantiam tranquillitatemque receperit, nemo, nisi insaniens, phantasiam pluris, quam somnium, facere solet (*y*).

(*y*) Prorsus non intelligo, cum phantasia æque ac somnia, sine ratione sit, cur non utrisque eadem quoque auctoritas tribui possit. Conf. *Cic. De Divin. Lib.* I. *Cap.* II. Melius, quam Schellingiani, Pythagorei, qui somnia pari honore habuerunt, atque phantasiam sive ecstasin, quâ, ut *Schellin-*

Sed simus faciles in disputando: fieri posse concedamus, ut non omnino nulla sit phantasiæ auctoritas; certe vicissim concedendum est, non modo, ut paulo ante diximus, eam auctoritatem per se nullis argumentis probari posse, verum etiam per ipsam naturam humanam fieri aliter non posse, quin illis ipsis, qui *Schellingium* sequantur, *incerta* videatur. Etsi enim omnes philosophi reclament, numquam evelli ex animo humano poterit opinio, quæ rationis argumentis firmari nequeant, ea esse *incerta*. Quod si vere a nobis dicitur — est autem verissimum — quis non intelligat, sententiam *Schellingianam* vehementer religioni *subjectivæ* obesse? Etenim cum animi pietate conjunctam esse firmam de religionis veritate persuasionem, necesse est, quibuscunque tandem argumentis illa persuasio nitatur. Si autem prorsus incerti sumus, si nobis ipsis confitendum est, nil afferri a nobis posse, cur illis argumentis, quibus utamur, quicquam tribuendum putemus; quæ potest esse stabilis ac constans pietas? Quid tum præsertim fieri necesse est, cum religionis vi et quasi armis oppugnandæ ac superandæ sunt peccandi illecebræ?

---

gius, Deos et res, a sensibus sejunctas, se intueri jactabant. Vid. *Tiedemann*, *Geist der speculat. Philos. Tom.* I. *p.* 75. sqq. et quos ibi laudat.

Cum voluptati, cum injustitiæ, cum ceteris vitiis resistendum est, satisne præsidii in illa, non persuasione, sed levi suspicione, inesse putabimus, quæ, etiamsi non tentetur, suapte naturâ vacillet? Equidem cujusque conscientiam testari, quam in re aperta diutius versari malo. Nam de Religione *Christiana* si longus esse velim, vix ferendus sim. Magna illius religionis ad pietatem ac vitæ sanctitatem efficacitas est; sed ita, si illius argumentum divinam auctoritatem habet atque in veritate positum est. Sin autem totum illud argumentum a poetis fictum est, equidem ad animi vitæque emendationem quid inter Hesiodeam Theogoniam et Religionem Chr. intersit, scire cupiam. Quid? quod Jesu etiam et Apostolorum causa pejor est, quam reliquorum poetarum. Hi enim certe poetas se esse, non dissimulant, atque hoc nomine ipsis omnia fingere licet. Illi autem si mentiuntur, malo dolo agunt, cum nil vehementius negent, quam quicquam ab ipsis fingi (*z*). Jam quærimus, si et ipsum hujus religionis argumentum commenticium est, et ejus auctor nos decepit, quis non totam illam religionem contemnat potius, quam ad pietatis ac virtutis fructum adhibeat? Si autem, qui religio-

---

(*x*) Conf. nostra Disp., in *Opp. Soc. Teyl. Theol. Tom.* XXVI. *p.* 101. sqq.

nem Chr. poesin esse dicunt, hoc volunt, perinde esse, quæ sit ejus origo et auctoritas, eam autem ita esse tractandam, *quasi* totum ejus argumentum poeticum sit, eadem causa est. Intelligitur enim, hanc esse illius sententiæ vim, religionem Christianam, si ipsius argumentum *ut verum ac solidum* tractetur et *proprie* accipiatur, nihil ad animi pietatem valere, certe non tantum, quantum si ut *fictitium* tractetur. Ita autem si res se habet, sequitur, tum demum utilem esse ad animi fructum hanc religionem, si aut *falsa sit*, aut certe falsa *habeatur*. Quo quid dici potest ineptius? Ea est, ut hoc utar, et constans Apostolorum doctrina et communis Christianorum sententia, in morte Jesu Christi magna inesse momenta et incitamenta pietatis ac virtutis. Fingite autem, totam illam de morte Servatoris doctrinam pro commento poetico esse habendam; quid tandem in hac doctrina relinquatur, quo moveri quis possit? Idea, inquit, poetica relinquitur, quæ satis valet ad commovendum animum. Quam tu mihi ideam narras? Si *notio* te movet, quantopere *ipsa re*, cujus illa notio est, te moveri oportet? Aut quid est, quod rem ipsam tollendam, notionem relinquendam putes? Quis non intelligit, nullum posse solidius pietatis fundamentum esse, quam quod in *re facta*, nullum contra levius, quam quod in *Idea poetica*, positum sit?

Et *objectivæ* igitur et *subjectivæ* religioni, sive *universæ* sive *Christianæ*, noxia est illa sententia, *religionem esse poesin.* Restat, ut postremo loco

III. de *Catholicismo* dicamus, cujus quæ sit cum recentiori hac philosophandi ratione conjunctio, supra declaravimus. Intelligitur autem, nihil ab hac disputatione alienius esse posse, quam Polemicam, quippe quæ iis, qui Dogmaticam tractant, relinquenda sit. Nos quidem agemus, quod nostrum est, atque illud videbimus, rectene an prave sentiant, qui in Catholicismo majus quam in Protestantismo, pietatis ac religiositatis adjumentum esse putent. In quo cavendum est, ne notiones *Protestantismi* et *Catholicismi* eædem esse existimentur ac *Protestantium* et *Catholicorum.* De *re*, non de *hominibus* nobis sermo est, neque quæritur utrum Protestantes an Catholici religiosiores sint, sed utrum Protestantismus an Catholicismus suapte natura magis valeat ad hominum animos religione imbuendos (*a*)?

(*a*) Nemini obscura esse potest hujus distinctionis causa. *Res* ipsa constans est, *homines* autem instabiles nec satis sibi consentanei. Quo sæpe fit, ut, qui optimam doctrinam tenent, improbissimi sint, et contrà. Præterea, si *ipsos homines* inter se comparare vellemus, magna esset quæstio, de quo potissimum tempore ac de quo populo ageretur? Supra explicuimus, quibus causis factum sit, ut his tempori-

Cum ut suprâ diximus, duabus partibus natura humana constet, alterâ sensibili, alterâ intelligibili, ut omnis religio, sic præsertim Christiana, aut ad alterutram magis partem, aut ad utramque simul, accommodari ac veluti admoveri potest. Pars intelligibilis *notiones*, sensibilis vero *symbola* sectatur, quibus illæ notiones significentur ac *sensibus* percipiantur. *Notiones* Protestantismo, *symbola* Catholicismo placent. Quo nomine uterque vituperandus est. Non prorsus intelligibilis est humana natura, neque prorsus sensibilis, sed ea est harum partium in se invicem vis et efficacitas, ut inde arctissima utriusque conjunctio ac veluti permistio quædam existat. Si igitur alteri parti religio ita adhibeatur, ut altera prorsus negligatur et, tamquam ager incultus, jaceat, intel-

---

bus religionis honos tantopere in Germania imminutus sit. Illæ causæ cum positæ essent in perverso usu illius *libertatis*, quæ, in tractanda et inquirenda religionis causa, Protestantismi propria, a Catholicismo autem aliena est, intelligitur, nullam harum causarum partem ad Catholicismum, omnem autem earum vim ad Protestantismum pertinere debuisse. Neque igitur mirum videri debet, si nonnulli ita sentiunt, Catholicos *hoc tempore in Germania* Protestantibus esse religiosiores: conf. *D. Jenisch*, *Kritik des dogmatischen — Moral-Systems*, *Præfat. p.* XIII, XVII. Iidem vero, si inter se comparare velint illos Protestantes et Catholicos, qui aut *ante* illam disciplinæ theologicæ immutationem fuerunt, aut hodiedum alias etiam regiones incolunt, ut Hollandiam et Angliam, aliter profecto judicabunt.

ligitur, hanc agendi rationem a natura humana esse alienam (*b*).

Si autem quæratur, utra harum partium potior esse debeat, quæque earum cum religione sit conjunctior, mihi quidem ea res ita aperta esse videtur, ut ne in disceptationem quidem cadere possit. Si religio sensibus exponi potest, si debet etiam, minime sequitur, religionem sive religiositatem phantasiâ contineri, quæ sensibus moveatur et excitetur. Vera religionis natura *intelligibilis* est, quippe quæ contineatur necessitudine illa, quæ nobis cum divina i. e. intelligibili natura intercedit. Quod si religio parti nostræ sensibili admovetur, non propterea hoc fit, quod ipsa per se quicquam, adspectabile et tractabile habeat, sed quoniam, quod non ex aliqua parte ut adspectabile et tractabile nobis proponatur, id ad naturam nostram non satis accomodatum est. Ex quo intelligitur, qui religionis vim in sensibus ponant aut in phantasiâ, sensibus commota, eos, quæ sit religionis vis, prorsus ignorare. Neque qui ita faciunt, naturæ humanæ dignitati magnopere consulere videntur. *Gregorius Magnus* quidem, cum *Serenus* Episcopus Massiliensis,

---

(*b*) *G. C. Müller l. c. p.* 106 sqq. *Neue Kirche p.* 37 sqq. et *J. C. Gasz*, *Ueber den Christl. Cultus:* cens. *in Bengelii Archiv. für die Theol.* II. 2. *p.* 450.

imagines de templis sustulisset, eum reprehendit; quoniam imagines utiles essent iis, *qui legere non possent;* et omnino antiquos *plebis* causâ in templis simulacra posuisse (*c*). Quanta esset *Gregorii* et antiquorum illorum admiratio, si aliquo modo ad ipsos perferretur, sæculo decimo nono reperiri etiam, non qui legere non possent, sed qui multa etiam scriberent, non plebejos et indoctos, sed qui etiam in philosophia coryphæi esse vellent, reperiri igitur, qui imaginum adspectu, aliarumque rerum, pompâ plenarum, perceptione potius, quam ratione et sacrarum literarum studio, ali et adjuvari religionem putarent! Et mihi quidem eorum, qui ita sentiunt, duplex potissimum error esse videtur. Primum minime probandum est, quod *symbolis religionis moveri*, idem continuo esse putant, quod *religiose moveri.* Duplex illius commotionis causa esse potest, quarum altera posita est in ipso illorum symbolorum *artificio* et *apparatu*, altera in eorum *vi et efficacitate* ad excitandas notiones religiosas. Jam quis non intelligit, priori illâ causâ *moveri* quempiam posse, qui tamen aut omnis religionis expers sit, aut illi certe religionis formulæ addictus non sit, cujus ea symbola

---

(*c*) *Schröckh*, *Kirchengesch. Tom.* XVII. *p.* 317. coll. *Tom.* IX. *p.* 221 sq. ed. 2.

propria sint? Quidni improbissimo cuique, quin-etiam Atheo, aut Raphaëlis, aut M. Angeli, aut alius cujusque clarissimi artificis sacra et religioni dicata ars ita placere possit, ut vehementissime commoveatur? Et cum cultus publici haud exigua pars in Musica consumatur, non Judæos tantum et Muhammedanos, sed ipsos elephantos, in quos magna Musices vis est, percelli debere arbitror, si eo tempore, quo Servatoris memoria mortis celebratur, Romæ essent in Sancti Petri templo. Hanc animi commotionem, sive potius sensuum titillationem, cum nemo facile *religiosam* dixerit, de altero commotionis genere videamus, quid statuendum sit, quod positum esse diximus in symbolorum *vi* et *efficacitate* ad notiones religiosas excitandas. Cujus rei rursus duplex consideratio est. Vel enim e symbolis *novæ* notiones nascuntur, *quas antea numquam habuimus*, vel symbolorum adspectu notiones, quæ *jam in animo insunt*, *excitantur ac veluti vividiores fiunt*. Prius illud si fiat, pleraque omnia, quæ supra de phantasia diximus, in hoc religiositatis genus conveniunt. Sive enim quis per phantasiam sibi eas notiones fingat, sive illas ducat a symbolo aliquo, ipsarum notionum par est, i. e. nulla soliditas. Adspiciat Muhammedanus imaginem Christi, in cruce pendentis; audiat etiam rei pictæ aut sculptæ explicationem; necessario fiet, ut ipsi eæ notiones oboriantur, quæ rei

oculis oblatæ respondeant. Has ille notiones verset, amplificet, exornet; num idcirco quicquam ille religiosior? Aut, quod notiones illas Christianas habeat, an propterea minus Muhammedanus est? Aut, quid interest inter rem veram et falsam, si modo *ideæ* quærantur, veræne an falsæ sint, i. e. solidæ an inanes, non curetur? Tabula picta, aliquam historiæ sacræ partem exhibens, si religiose me movebit, prius constare debet, ipsam historiam *veram* esse. Religiositatem enim niti certe oportet *solida* notione, i. e. persuasione, *esse* moralem aliquam Dei et humani generis necessitudinem. Jam fac aliquem, qui de religione numquam cogitaverit, accedere ad necessitudinis illius aliquod symbolum. Non est obscurum, quid futurum sit. Gignetur in ipsius animo aliqua rei *notio;* ipsam autem *rem* veram esse, i. e. *exstare* illam necessitudinem, nullum symbolum ei persuadebit. Alterum vero si fiat, *ut symbolorum adspectu notiones, quæ jam in animo insint, excitentur ac veluti vividiores fiant:* concedamus, hanc animi commotionem vere *religiosam* dici posse. Quis autem non videt, hanc religiositatem, etsi *Catholicorum symbolis* excitetur, tamen *Protestantium* esse, non *Catholicorum?* Protestantismus enim, ut supra diximus, *notiones*, Catholicismus *symbola* sectatur. In hoc igitur symbola, in illo notiones prævalent. Itaque qui symbola adhibent ad illas

notiones excitandas, atque in ea, ut hoc verbo utar, excitatione, religiositatis vim et naturam ponunt, illi eo ipso probant, sibi Protestantismum placere. E *notionibus* enim efflorescere religiositatem volunt, symbolis autem tantum ut *instrumentis* religiositatis utuntur. Neque enim symbolorum aut alius cujusvis apparatus usus ita a Protestantismo alienus est, ut, qui ea ad augendum et adjuvandum sensum religiosum adhibeat, is continuo Catholicismo addictus esse, censeri debeat. Nisi forte propterea Catholici appellandi sumus, quod cultus publicus, quem Deo adhibemus, *musica* etiam et *cantu* celebretur, aut quod ædium nostrarum parietes exornati sint tabulis pictis, aliquam sacræ historiæ partem exhibentibus. Non qui symbolis utitur, sed qui symbolis notiones opprimit, atque illis majorem, quam his, dignitatem tribuit, Catholicus est. Itaque inepte facere videntur, qui propter pompam et apparatum, Catholicismum anteponendum putant Protestantismo. Si enim naturæ nostræ *sensibilis* commotione religionem contineri putant, religionem evertunt, quippe quæ, ut supra diximus, non ad *sensibilem* nostram, sed ad *intelligibilem* naturam pertineat. Sin vero eam ob causam Catholicismum suscipiunt, ut majori et copiosiori symbolorum apparatu notiones religiosæ, quæ jam in animo insint, excitentur, nomine Catholici sunt, re Protestantes. Licet iis

symbola adhibere, licet tantam, quantam volunt, cultûs Catholici partem in Protestantium cultum transferre; quamdiu notionibus plus, quam symbolis, tribuunt, tamdiu Protestantes sunt. Itaque, ut rem paucis complectamur, *symbolis moveri* minime idem est, quod *religiose moveri*; si autem est aliquando, apud Protestantes est, qui non, ut Catholici, sensibilis naturæ commotione contenti, naturam nostram intelligibilem, in qua religionis sedes est, symbolis commoveri volunt.

Huic errori, de quo egimus, finitimus *alter* est, quod qui in cultu publico pompam et apparatum magnificum sectantur, a sensus religiosi commotione non satis distinguunt *stuporem* et *sensuum oppressionem* (*d*). Omnino cultus Catholicorum magnam vim habet ad animos percellendos. Sed hoc ipsum *percelli* non est *religiose moveri*. Si enim, ut vidimus, ea commotio, quæ *symbolorum* adspectu efficitur, longe diversa est a religiosa animi commotione, quanto magis illa animi oppressio et hebetatio, quam, ut ita dixerim, *arbitraria* pompa affert. Symbola certe notionibus religiosis respondent, easque veluti ob oculos ponunt. Reliquus autem apparatus per se

---

(*d*) Ita appellemus licet, quod nos dicimus *verdooving*, Germani *Betäubung*: vid. *Vater* in *Köningsb. Archiv.* 1812.

arbitrarius est atque nullam cum religiosis notionibus necessitudinem habet; neque novas affert, neque veteres excitat. Cereis luceat templum, personet tintinnabulis, splendeat auro et argento, fragret thure, marmoreis ornatum sit columnis, veste talari et acu picta ad altaria gradiatur sacerdos, manus et pedes motet, gesticuletur, verset se, ut lubeat: quæ tandem istarum rerum cum religione conjunctio est? Aut quæ notio religiosa est, cui aliqua hujus apparatus pars respondeat, quæque hac veluti depingatur? Neque enim, quod aliquid fiat in templo, propterea aut cum religione, quæ vere sic dicitur, conjunctum est, aut eam adjuvat. Quæ igitur istius apparatus vis est? Pompæ mole obruimur, stupefimus, conturbamur Si autem difficile esset ex ista perturbatione ad sensus religiosi tranquillitatem emergere, etiamsi hujus pompæ cum notionibus religiosis aliqua similitudo esset, quanto hoc difficilius sit, necesse est, si omnis ille apparatus, ut diximus, arbitrarius sit et cum religionis argumento nihil commune habeat. Cereorum accensorum argenteisque candelis impositorum splendore præstringi oculorum aeies potest; sed non, ut tabulæ pictæ, sic etiam cerei ac reliquæ pompæ partes *per se* habent aliquid religiosis notionibus analogum, aut iis excitandis aptum. Ex quo rationem concludimus, id, quod illi appellant *religiose moveri*, nihil aliud esse, quam *in stuporem rapi*, atque ab hoc stupore

nihil differre illum, quem theatrorum pompa afferat (*e*).

Jam non difficile est statuere, qualis sit illa religiositas, quæ Catholicismi ritibus ac cæremoniis efficiatur. Nobis quidem neque illa animorum per symbola commotio, neque hæc per reliquum apparatum oppressio, religiositatis nomine digna esse videtur. Sed remittamus etiam de ista judicii severitate, et concedamus ea, quam tantopere expetant, pompa sensum religiosum vere excitari. Quis non intelligit, aliud quid esse *religiose moveri*, aliud *constanter religiosum esse?* Non enim exigui temporis commotione religiositas continetur, sed est constans quidam ac perpetuus animi habitus ac διάθεσις. Hanc autem constantem religiositatem pompa parere nequit. Nam quemadmodum mare, quamdiu procellâ movetur, tamdiu vastos fluctus volvit, illâ autem residente, paulatim tranquillatur, sic animi commotio, quæ fit per rerum sensibilium impulsionem, imminui ac tandem prorsus restingui solet, si res ipsæ, quibus animus commotus fuerat, sensibus subducantur. Illa autem impulsione sublata, animus tantum, ut ita dixerim, infra communem

---

(*e*) Vid. *C. Fransen van Eck* V. C. *Kerkel. Redevoer. bij de opening van de algem. Synode* 1818 *p.* 15 sq. et *Bengelii Archiv*, II. 2. *p.* 473 sqq.

religiositatis modum desidere solet, quantum antea supra eum fuerat elatus. Quod idem ebriosis accidere solet, quorum vis vitalis, cum nimia potatione in exiguum temporis momentum augeri et confirmari videatur, simul atque exhalata crapula est, ne communem quidem vigorem ac τόνον habet (*f*). Quæro igitur, qualis sit ista religiositas, quæ tamdiu tantum stabilitatem habeat, quam diu sensus feriantur? Eritne quis in hebdomadis exitu justior, temperantior, omnino melior, quod primo hebdomadis die oculos auresque rebus pompa plenis paverit? Quod si etiam singulis diebus, singulis horis, ille apparatus ac veluti taberna exponatur, quis nescit, consuetudine solere sensibilis impulsionis vim frangi et elevari? Quid si pinguiori quis natura sit, ut commoveri ac percelli fere nequeat? Quid in senectute, quæ sensus hebetare solet? Sed nolo plura. Nullam esse constantem religiositatem contendo, quæ rebus sensibilibus adstricta sit, sensibilique natura nostra nitatur. Si autem pietas, si sanctitas, si reliquæ virtutes, quæ a religione manant, constantia carent, ne nomen quidem religionis relinquitur. Quid ergo? potestne cuiquam dubium aut obscurum esse, tum demum

---

(*f*) Conf. *Hufeland*, *Kunst om het menschelijk leven te verlengen*, II. *p.* 47.

firmam posse in animis ac stabilem religiositatem gigni, si ejus fundamentum non in sensibili, sed in *intelligibili* naturæ nostræ parte ponatur? Hoc enim qui facit, atque *notionibus* religionem fundat, ille quicquid agat, sive rusticetur, sive peregrinetur, in solitudine, in tenebris, in exilio, intus habet religiositatis pabulum, ejusque fundamentum, ut ita dixerim, ubique secum portat. Non ille ex symbolis, non ex musica, non ex pompa pendet. Cæcus sit atque surdus, intus religionis pulcritudinem cernit, intus ejus vocem exaudit. Hæc Protestantismi laus est (*g*).

Historia autem quam clara voce loquitur! Quando tandem, per Deum immortalem, vera religio vehementius hominum pectora occupavit, quam tum, cum nulla pompa adhiberetur (*h*)? In antiquissima dico ecclesia Christiana, cum quæ

(*g*) Nec tamen negamus, atque suprà etiam fassi sumus, cultus publici Protestantium esse nimiam quandam sobrietatem, quam alii jejunitatem dicunt, non satis illam ad humanam naturam accommodatam. Omnino speramus fore, ut Protestantes, Catholicorum exemplo, melius aliquando naturæ nostræ sensibili consulant: conf. *G. C. Müller*, *l. c. p.* 111. 114 sqq. et *Neue Kirche*, *p.* 86 sqq. Hoc unum teneamus, nec umquam nobis eripi patiamur, cum de religione quæratur, sensibilem naturæ nostræ partem esse intelligibili subjectam, atque veræ religionis vim in hac, non in illa parte positam esse. Conf. *van Eck* l. c. *p.* 9 sqq.

(*h*) *Van Eck l. c. p.* 23 sqq.

postea in luxum et in pompam convertit superstitio, ea *necessitatis* causa tantum adhiberentur (*i*). Si qui autem sint — ut sunt profecto (*k*) — qui illam cogitandi inquirendique libertatem, quam Protestantismus sibi vindicet, noxiam esse sensui religioso existiment, numquam hæc de Paparum, i. e. humanâ in religionis causâ, auctoritate vehementius agitata est controversia, quam tempore instauratorum Sacrorum. Utri igitur religionis amantiores ejusque causæ studiosiores, Reformatores atque Principes, qui eos tuebantur, an vero illorum adversarii (*l*)? Quid vero causæ esse dicamus, cur ex Italia potissimum

---

(*i*) Probabile v. c. est cum antiquissimi Christiani, propter inimicorum invidiam, in locis squalidis et inpuris religiosos conventus agere cogerentur, thus ab iis ad pædorem pellendum adhibitum esse: vid. *Martini*, *Diss. de thuris in veterum Christianorum sacris usu*, Lips. 1752. Et quoniam nocturno tempore illa sacra frequenter celebrari solerent, verisimile etiam est, hanc primam fuisse causam accendendarum in conventibus lucernarum. *Hieronymus* certe, sua adhuc ætate in Eccl. Occidentali non nisi *noctu* accendi solere cereos docet. *Cereos*, inquit, *non clara luce accendimus*, *sicut frustra calumniamini*, *sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus.* Vid. *Hieron. contr. Vigilantium*, C. III. *p.* 408. ed. Paris. 1643. coll. *Binghami Origg. Eccl. Vol.* VI. *p.* 83.

(*k*) *Vater* in *Köningsb. Archiv*, l. c. 383 sqq.

(*l*) *Vater*, i. c. *p.* 386.

et ex Gallia, i. e. ex ipsa Catholicismi sede, primi ac vehementissimi in religionem Christianam impetus facti sint? Aliane causa excogitari potest, quam quod homines docti et ingeniosi, cum Catholicismum, superstitione ac cæremoniis refertum, pro Christiana religione venditari viderent, nullam materiam reperirent, in qua facetius cavillari possent? Tantum igitur abest, ut pompa et sensuum commotio satis firmum sit religiositatis fundamentum, ut si in rebus externis omnia ponantur, intelligentibus etiam risus moveri debeat (*m*). Quid civium virtutem, quid patriæ caritatem dicam? Declarat recentissimi temporis historia, quantum Protestantismus ille, quem jejunitatis accusant, valeat ad hominum animos patriæ amore imbuendos, atque eo adducendos, ut et, si necessitas urgeat, injurias sapienter fe-

---

(*m*) *Vater* l. c. *p.* 399 sq. qui etiam recte addit: » Wie » ganz anders, wie tausendfach erfreulicher für den religiö- » sen Beobachter gestaltete sich die Sache in England, in » Schoosse der protestantischen Kirche und der Freyheit der » Untersuchung. England war der Sitz des Deismus, der » Angriffe auf die geoffenbarte Religion: aber, eben weil » Gewissenfreyheit da war, zerfrass nicht versteckter Witz » und Spott die Eingeweide des religiösen Sinnes; offen ward » das Christenthum angegriffen, offen und gründlich das » Christenthum vertheitigt: und wo bleib in eben der Zeit » und ist jetzt mehr religiöser Sinn, als in England? mehr » Frömmigkeit?"

rant, et, si occasio sit ac spes salutis, fortiter propellant (*n*).

Satisfecisse nobis videmur illi quæstionis parti, *Schellingianus* ille ac poeticus Mysticismus prosit an obsit religionis ac virtutis causæ? Neque enim necesse esse duximus, ut virtutis causam a religione disjungeremus, atque de utraque singulatim dissereremus. Nam Vos, Viri eruditissimi, cum hanc quæstionis partem poneretis, illud sumebatis, religionis ac virtutis arctissimam esse conjunctionem, ut altera labefactata, alteram etiam detrimentum capere necesse sit. Quod et ego verissimum esse arbitratus, utramque eadem sum disputatione complexus, ita tamen, ut de religione præcipue dicerem, quippe de qua imprimis quæreretur. Itaque sic rationem concludo, quantum hunc Mysticismum religioni, tantum virtuti noxium esse. Si autem aliorum vera est

---

(*n*) *Neue Kirche*, *p.* 43. » Ihr habt es gesehen, Fürsten » des protestantischen Deutschlands, und vor allen Du, edler » gerechter König der freien Preuszen, wie der Protestan- » tismus zu begeistern vermag für eine gerechte Sache, wie » er eine edle Jugend zum heiligen Kampf um den Thron » versammelte. Wo hat sich im katholischen Deutschland » solcher Gemeingeist gezeigt? wo ist dort der Krieg gegen » den Erbfeind so volksmässig geführt worden?" Et ne quis Borussis recentissimum Hispanorum exemplum opponendum esse putet, quantum inter utrosque intersit, egregie demonstravit *G. C. Müller*, *Protestantism. und Relig.* 77.

sententia, religionem nihil cum virtute commune habere (*o*), eo majori jure singularem de virtute disputationem prætermittere potuimus.

(*o*) Ut v. c. contendit *F. Schleiermacher*, ipse *Schellingii* sectator, *Reden über die Religion*, *p.* 35. Berol. 1806.

CAPUT III.

QUÆ SIT HUIC MALO AFFERENDA MEDICINA?

QUAMQUAM ea quæstionis pars, quæ hoc Capite tractanda nobis est, nec difficilem explicationem habere, nec longam disputationem requirere videatur, tamen digna est, de qua disseratur. Neque a Vobis, Viri eruditissimi, aliter exspectandum erat, quin, si quid malum religioni ac virtutis studio imminere aut etiam officere videretis, nulla de re magis solliciti essetis, quam quomodo illud malum quantocyus depelli posset.

Morbus ille — quid enim aliud iste Mysticismus est, quam febricitantium furor? — itaque ille morbus, quo multi hoc tempore in Germania conflictantur, hoc habet cum aliis corporis morbis commune, quod, quamquam ars humana non plane aspernanda sit, tamen a tempore præcipue et a natura ejus curatio sperari debet. Quamobrem si quæritis, qua optima ratione mali vis reprimatur? ita respondeo: *nihil agatur: nulla remedia, nedum caustica, adhibeantur: insania,*

ut Turni apud Virgilium violentia, exsuperabit magis ægrescetque medendo: brevi fiet, ut natura, i. e. recta ratione salutem afferente, prorsus discedat febris: bene speremus, exsæviet furor. Hæc mea de hoc morbo sententia est, quæ quibus causis et argumentis nitatur, breviter declarandum est.

1. Primum: cum religio partim *theoretica*, partim *practica* sit, i. e. partim ad *rationem*, partim ad *animi sensum* pertineat, fieri per ipsius rei naturam non potest, ut, si altera pars efferat se nimis et alteram opprimat, illud veluti imperium stabile ac diuturnum sit. Mihi quidem et qui unam rationem sequuntur, et qui unius sensus auctoritate duci se patiuntur, idem iis accidere videtur, quod Gymnosophistis, Indorum philosophis, quos *Plinius* tradit, ferventibus arenis toto die alternis pedibus insistere solere. Qui status nec diuturnus esse potest, et longam exercitationem requirit, et ita contra naturam est, ut illi in hac arte, ut in re longe difficillima, mirifice jactare se soleant. Similiter in religionis causa sive una ratione, sive uno sensu quis nitatur, uno pede insistit ac vim infert naturæ, quæ binos nobis pedes non concessisset, nisi hoc voluisset, ut binis uteremur. Non patitur autem natura, se in perpetuum superari. Perturbatæ facultatum animi æquabilitati et tanquam harmoniæ ipsa, ut morbo, medetur. Et ea pars, quæ

impotenter regnat, languescet aliquando, ac viribus deficiet, et ea, quæ jacet, eriget se, ac suam sibi dignitatem vindicabit. Et usus et experientia et historia quemque docere potest, hanc æquabilitatis legem quam graviter, et in ceteris rebus omnibus et in religionis causa, providentia divina tueri soleat. Cogitate, ne alia dicam, in Ecclesia Christiana qualis fuerit Platonicæ et Aristotelicæ doctrinæ veluti reciprocatio; cum illa Mysticismi, hæc Rationalismi, patrona esset. Jejunam Scholasticorum subtilitatem excepit divinus ille animorum impetus, qui religioni honorem dignitatemque restituit. Rursus aridæ et exiles controversiæ hominum animos occupatos tenuerunt. Quid quæritis? Exorti sunt Pietistæ, quorum ipsum nomen, quid sibi proposuerint, declarat. Hos rursus inde a medio sæculo superiori aliud genus theologorum secutum est, qui omnem religionis causam ita ad unam rationem revocarent, ut sensui bellum indixisse viderentur. Habetis præsentis Mysticismi causam. Natura rem restituet (*p*).

2. Alia causa, cur eum, de quo agimus, Mysticismum brevi interiturum esse, existimemus, posita est in peculiari ipsius Mysticismi in-

---

(*p*) Vid. *F. Lücke* in *Stäudl. et Tzschirn. Archiv für Kirchengesch. Tom.* II. *Part.* I. *p.* 135 sqq.

dole. Hoc dicimus, quamquam nec unius rationis, nec unius sensus principatus — quo quidem altera pars penitus fere opprimatur — stabilis ac perpetuus esse potest, tamen sensus imperium suapte natura brevius everti debere, quam rationis. Quod cum Historiæ Ecclesiasticæ auctoritas quemque docere potest, tum ratio confirmat. Mysticismus per se *otium* sequitur, i. e. ut vulgo dicitur, *passivus* est. Animus, quem occupat, *afficitur* rebus divinis, et in hac *affectione acquiescit* (*q*). Quæ laboris vacatio mol-

---

(*q*) Auctor libri: *Betracht. über den gegenw. Zust. der Philos. p.* 165. contendit, *Schellingii* doctrinam hoc nomine ab omni reliquo Mysticismo diversam esse, quod ille omnia referat ad ipsius hominis *actionem*, alienus autem sit ab illo *otio* (passivitate), quod ceteri Mystici captent: conf. *Camp. Vitringa*, *Typus Theol. Pract.* Præfat. *p.* 11. De qua Anonymi scriptoris sententia quale nostrum judicium sit, breviter exponemus. Doctrinæ *Schellingianæ* de cognitione humana principium et arx est *intellectualis Intuitio Absoluti*. Quæ intuitio sive *proprie* ita dicatur, sive *phantasiâ* contineatur, utroque sensu *actio* est, i. e. voluntaria quædam mentis ad Absolutum elatio. Hoc nomine igitur *Schellingii* Mysticismus non in *patiendo*, sed in *agendo* positus est. Nec tamen propterea a reliquo Mysticismo diversus est. Nullus enim Mysticismus phantasia caret. Neque quod Mysticismus ab *actione* incipiat aut cum ea conjunctus sit, propterea continuo *activus* est. Monachi in monte Atho nonne antequam *quiete* fruerentur, montem *adscendere* debuerunt? Similiter qui Absolutum intuetur, *patitur* aliquid, *afficitur hoc adspectu*, quamquam prius *proprio impetu* ad illam intuitionem

litiem affert, quæ animos effeminat, et iis præsertim viris indigna est, qui in libris suis frequenter *Teutonicam vim* et ἐνέργειαν prædicant (*r*). Nonne si viri sunt, ut certe sunt, in religionis causa mulieres esse, desinent? Sed nolo hanc rem urgere: illud vero cogitate, quid hoc sit, *otiosum esse?* Si enim vix quisquam reperitur, labori vel paululum assuetus, quin

---

enixus sit. Recte tamen Auctor monet, inter Schellingianum et reliquum Mysticismum aliquod discrimen intercedere, de quo subsequente aliqua Nota disseremus.

(*r*) In libro: *Berlin. Monatsch.* 1808. Jul. exstat egregia disputatio: *Benedikt Spinoza, oder über Atheism, Fatalism und Mystizism:* cujus auctor ita verissime judicat: » Der » Mysticism zeugt zwar immer von einem religiös oder phi- » losophisch affizirten Gemüthe, zugleich aber solchem, dem » es an lebendiger Fülle und an *gediegner Kraft* fehlt, wel- » ches daher in einer zu grossen *Passivität* befangen ist, » um zu klarer und deutlicher Anschauung gelangen zu kön- » nen. Das Vorherrschende im Mysticism ist das Gefühl, » in der Philosophie hingegen das Erkennen; weshalb ein » System, das mit dem Charakter des Mysticismus auftritt, » sich selbst vernichtet. Jeder Mystiker äussert sich met » einer gewissen *Weichkeit*, die leicht in *Weichlichkeit* und » *Empfindelei* äusartet.'' Sic recte de Mysticismi natura judicari, nuper etiam suo exemplo probavit *C. Baumgarten Crusius*, in libro: *Die unsichtbare Kirche.* Lips. 1816. coll. *Leipz. L. Z.* 1818. *Martii*, *p.* 446. sq. *Zimmermannus* etiam in libro: *de Benzaamheid*, Tom. II. p. 115. sqq. mulierum multo vehementiorem esse docet, quam virorum, Mysticismum.

nihil otio molestius putet et sedulo anquirat, quod agat, quis tandem credat, eam doctrinam, quæ animos desidiâ enervet, aliquam stabilitatem esse habituram? Et corporis vita sine labore traduci fortasse potest, animi non potest. Ipso labore, i. e. cogitatione et cognitione rerum ejus vita continetur, hoc pabulo alitur. Nec cogitur ad hunc laborem, sed suapte natura fertur, atque ita hujus pastûs appetens est, ut eo si careat, tabescat et enecetur. — Deinde, hoc considerate, in sensûs commotione quam parum et quam nihil potius *varietatis* insit. Ipsa affectio fortasse varia esse potest, ut alias vehementior sit, alias lenior; genus affectionis semper *idem* est. *Eadem* res *eodem* modo *eandem* rem afficit. Ratio contrà materiam, quam tractat, *multicipliciter* vertere et ex *variis* partibus spectare potest. Jam notiones rerum conjungit, jam disjungit; jam synthesi, jam analysi utitur; jam hanc, jam aliam argumentandi rationem adhibet. Quæ varietatis delectatio eo necessario valere debet, ut rationis principatus diuturnior sit quam sensûs — Denique notionum, quibus sensus commovetur, *obscuritas* efficit, ut, si cum ratione conferatur, non nisi brevis ejus dominatus esse queat. Non nego, hominum vulgarium et ignavorum omnem pene vitam in obscuris rerum intelligibilium notionibus consumi: quis autem *philosophus* adeo personæ suæ oblitus esse pos-

sit, ut, cum ratio suâ ipsa naturâ in notionum perspicuitatem enitatur, ille tamen huic impulsioni *diu* et *constanter* obsistat, et in sensûs obscuritate acquiescat? Et si unus alterve philosophus hoc possit, quis credat, *universam sectam* philosophorum posse? Profecto ea rationis vis est, ut diu opprimi se non sinat: ea rursus sensûs indoles, ut imperii habenas diu tenere nequeat. Sicut lucem anteponimus tenebris, illâ libenter fruimur, has quantocyus dispellimus, ita natura humana, nisi omnes ingenii nervi elisi sint, eo fertur, ut notionum obscuritatem fugiat, perspicuitatem sectetur, eâque delectetur (*s*).

(*s*) Tres causas memoravimus, quibus adducamur, ut nullum Mysticismum posse diuturnum esse, credamus, primam, quod otium sequi soleat, alteram, quod nihil varietatis habeat, tertiam, quod cum notionum obscuritate sit conjunctus. Quæ causæ quomodo in *Schellingii* quoque Mysticismum conveniant, breviter declarandum est.

1. Scilicet, quod primo loco diximus, omnem Mysticismum *passivum* esse, negat Auctor libri: *Betracht. über den gegenw. Zust.* cet. *p.* 165. hoc transferri in *Schellingii* doctrinam posse. » Im Theoretischen verwirft es (Systema » Schell.) die Erkenntnis des Uebersinlichen sowohl durch » das Ahnen als durch eine *unbegreifliche Einwirkung Gottes auf den Geist;* und im Praktischen gründet es die » Sittlichkeit so weinig auf ein beschauliches und müssiges » Hingeben des Ichs an Gottes Gnade und unmittelbaren » Einfluss, oder auf die Aufhebung individueller Thätigkeit, das es cet. — Ueberhaupt is dieser Philosophie alle

3. Tertiam causam, cur brevi melius fore putemus, ab *ipsius temporis ac rerum mutatione* ducimus. Supra memoravimus duo momenta, quæ hominum animis magnam ad Mysticismum

---

» Passivität in dieser Rüksicht fremd; — persönlich freyes » Streben ist bey ihr Anfang und Ende." Ita loquitur doctrinæ *Schellingianæ* interpres et acerrimus patronus, vehementioris, ut videtur, ingenii, quam philosophum decet. Nos rogatum volumus Auctorem, ut nos doceat, quomodo hæc oratio consentanea sit ipsius *Schellingii* verbis, ita scribentis, *Ueber das Wesen der menschl. Freyh. p.* 473. » Es sey nun, dass menschliche oder göttliche Hülfe (einer » Hülfe bedarf der Mensch immer) ihn zur Umwandlung ins » Gute bestimme cet." Et paulo post: » Es ist wahr, dass » nicht der Mensch selbst, sondern der gute oder böse Geist » in ihm handelt." Quæ, nisi fallor, ejusmodi sunt, ut illam Auctoris sententiam prorsus convellant. Sed videamus, quid illi Auctori concedi et possit et debeat. Itaque concedimus, *Schellingium*, si constare sibi velit, non admittere posse præsentem illam ac sensibilem Dei in animos vim et efficacitatem, qualem Mystici multi jactent, quamque, Theologorum more, *operationem divinam* appellemus. Animus enim, ut natura *individua* et ad *personam* pertinens, *extra* Absolutum est, i. e. Nihil est, et quatenus *apparet*, in Nihilum redigi debet. In hunc igitur animum, in hoc *Nihil*, Deus *operari* non potest, sin vero, longe alia est *operatio*, quam quæ a Mysticis reliquis prædicari solet. Illi enim hac vi divina se *illuminari*, ac *novas et inusitatas vires* acquirere dicunt: *Schellingius* si idem diceret, secum pugnaret. Animus enim individuus, ut ille putat, ortus est ex *defectione* a Deo: si igitur Deus vi præsenti hujus animi vires ac veluti vitam augeret, ipse peccatum augeret, et confirmaret illam falsam animi opinionem, se esse *Aliquid*, se esse *Per-*

inclinationem attulisse videantur, alterum, infaustam religionis conditionem, alterum, publicam calamitatem. Harum causarum non amplius ea vis est, quæ fuit. Nemini quidem, nisi naturæ hu-

---

sonam, *per se* existentem et ab Absoluto separatam. Contrá, si qua Dei in hunc animum individuum efficacitas sit, illa, ex *Schellingii* sententia, eo valere debet, ut animo illi *interitus afferatur*, i. e. ut ipsum *phœnomenon* tollatur, ut id, quod Aliquid esse *videtur*, ne *videatur* quidem amplius. Sin vero *Schellingius*, ita dixerit, Deum i. e. Absolutum in nos *operari*, non quatenus individuæ naturæ, sed quatenus in *Absoluto* simus, rursus hæc vis divina diversa est ab ea, quam ceteri Mystici se sentire dicunt. Esset enim operatio Absoluti *in se ipsum*, cum reliqui Mystici statuant, Deum operari in animos, *separatim* ab ipso existentes. Itaque Schellingianus Mysticismus non *eodem sensu otiosus* sive *passivus* dici potest, quo vulgaris Mysticismus dicitur. Nec tamen propterea minus otiosus est. Negat *Schellingius* in rebus intelligibilibus cognoscendis aliquem esse rationis usum. Atqui in *rationis* usu maxima hominum *actio* est: et eam ipsam ob causam reliquos Mysticos *otiosos* dicimus, quod, ratione oppressa, sensui omnia tribuunt. In rationis locum *Schellingius* substituit *phantasiam*, sed hac nullus omnino Mysticismus vacat, ut superiori Nota (*q*) diximus. Præterea, sive homo consideretur ut natura individua, *apparens* tantum, sive quatenus est in Absoluto, minus ut *agens* aliquid, quam ut *patiens*, a *Schellingio* inducitur. Si ut natura individua consideretur, quæ, ex philosophi sententia, interire debet, hunc interitum *aut* Absolutum afferat, *aut* ipsa se perimat, necesse est. Prius si fit, *passiva* illa natura est, quippe quæ ab Absoluto in Nihilum se redigi *pati* debeat. Sin vero se ipsa tollere debet, non certe *activa* est. Quo magis enim *agat*, quo magis vires suas ac facultates augeat, confirmet,

manæ prorsus ignarus sit, obscurum esse potest, fieri aliter non potuisse, quin hominum animi aliquando ad Mysticismi susceptionem deducerentur. Religio ad unam rationem revocata, frigida

---

exerceat, eo robustiorem eam fieri necesse est, et longius a salutari illo interitu arceri. Itaque *nihil agendo* tabescere et consumi debet. Si autem homo spectetur, ut est in Absoluto, ne homo quidem amplius est, nec potest ei, ut barbare loquuntur, *activitas personalis*, quam Anonymus Auctor jactat, tribui. Quicquid agitur, ab Absoluto agitur in Absolutum. Hoc se ipsum intuetur, sicut otiosi Mystici umbilicos suos intuentur. Quod si quis dixerit, *agere* tamen Absolutum, atque eam ob causam nos etiam, qui in Absoluto simus, aliquid *agere* dici debere, respondemus, Absolutum non tantum agere, sed etiam *pati*. Agit enim *in se ipsum*, atque propterea idem *passivum* est, quod *activum*. Ista autem *actio* quid tandem aliud est, quam otium, quam desidia, quam ignavia, si quidem comparetur cum illo virtutis studio et exercitatione, quam gravissimi philosophi commendant?

2. Quod autem diximus, omnem Mysticismum propter *varietatis* inopiam tædium et satietatem afferre, id inprimis in *Schellingii* doctrinam cadit. Omnis Mysticismus duabus partibus constat, sensu et phantasia. Ille *passivus* est, hæc *activa*. Sensûs affectio, ut diximus, simplex est et varietatis fere expers. Itaque si quid varietatis Mysticismus habet, id omne positum esse debet in *Phantasia*. Jam Schellingiana phantasia cum reliquorum Mysticorum phantasia comparetur, ut intelligatur quanto magis illa, quam hæc varietatis delectatione careat. Reliqui Mystici cum de Deo loquuntur, *symbolice* loquuntur, i. e. rerum finitarum notiones per exaggerationem in divinam naturam transferunt. Itaque Deum appellant *oceanum*, *ignem*, *lucem* cet. Illi igitur phantasiæ habenas remittere, eamque symbolorum multitudine ac varie-

erat et iners, et vi atque efficacia carens. Incidunt ea tempora, quibus homines intelligunt, malorum medicinam et consolationem aut nullam esse, aut eam in una religione positam esse debere.

---

tate delectare ac veluti pascere solent. Atque hæc varietas medetur quodammodo satietati, quæ ex sensûs affectione, semper eadem, necessario nascitur. Quid vero Mysticismus Schellingianus? Ejus phantasia caret, ut ita dicam, materiâ, in qua versetur. Nec in hominum animis, nec in mundo sensibili aliquod symbolum est, quo divina natura significari possit. Nam homo, animus, facultates animi, oceanus, lux, ignis, omnia denique hujus mundi phænomena, orta sunt ex defectione ab Absoluto, Nihil sunt. Si quis igitur ita dixerit: *Deus est infinitus oceanus:* is, ex *Schellingii* sententia, hoc dixerit: *Deus est infinitum Nihil.* Atque hæc symbolorum penuria efficit, ut, cum *Schellingius* Deum appellet *Absolutum*, ne Substantivum quidem aliquod vocabulum reperire possit, quod huic Adjectivo apponatur. Est igitur brutum aliquod Absolutum (*vid. Jenisch Krit.* cet. *p.* 183), quamquam ne brutum quidem; omni enim *prædicato* caret. Absolutum est Abosolutum, Identitas est Identitas, nec ullo alio vocabulo definiri potest. Itaque hoc Absolutum non tantum per se omni varietate vacat, sed ne phantasia quidem illud ex variis partibus spectare potest.

3. Quod tertio loco diximus de *obscuritate notionum*, in quibus Mysticismus versetur, videri hoc possit in *Schellingianum* minus, quam in vulgarem Mysticismum, convenire. Illa enim obscuritas ad *sensum* potissimum pertinet, qui in hac *Schellingii* ratione minus valet, quam *phantasia:* nam ita appellare liceat *Intuitionem illam Intellectualem.* Et tamen hoc contendimus, quamvis *Schellingius* sensui minus tribuat, quam phantasiæ, ejus tamen Mysticismum non minori, quam reliquorum Mysticorum, obscuritate notionum

Vident in Rationalismo nullam esse vim ad animi ægritudinem abstergendam; nullamque religionis esse salutem, nisi *sensus* moveatur. Poteratne quicquam ad hominum naturam accommodatius

---

laborare. Primum si ex *Schellingio* quæsieris, quid sit *Absolutum?* Idem per idem dicit, *die absolute Identität des Idealen und Realen, des Subjectiven und Objectiven.* Tum si quæsieris: quid sit *Intuitio intellectualis* illius Absoluti? Ita respondet, ut ait *Bachmann*, *ueber die Philos. meiner Zeit*, *p.* 202, *dies lasse sich so eigentlich nicht beschreiben, es müsse sie jeder in sich selbst finden, und wer dies nicht könne, dem könne sie auch nicht gegeben werden.* Et tamen Absolutum et Intellectualis Intuitio sunt fundamenta doctrinæ *Schellingianæ.* Jam quæro, an Mysticismo, qui tali doctrinâ nitatur, aliqua perspicuitatis laus tribui queat? Quid enim est perspicua notio, sive *idea clara*, ut Logici vocant? Perspicuam alicujus rei notionem habere dicimur, cum eam ab omni alia re discernere ac dignoscere possumus. Quærimus igitur, quomodo Absolutum illud, quem *Schellingius Deum* appellat, discerni queat ab eo, quod *Nihil* appellari solet? Quærimus, si fabas, si legumina, si homines, ut personas, si orbem terrarum, si cunctum denique mundum phænomenon, mente et cogitatione sustulero, quid relinquatur? *Absolutum*, inquit: quidni potius *Nihil* dicat? Doceat certe, quid discriminis inter Absolutum et Nihil intersit, et quomodo Mystici *Schellingiani* differant ab Mysticis *Sinensibus*, qui ineunte sæculo post C. N. quarto, imperante *Hoei Ti*, exorti sunt, quique se *Inane* atque *Nihil* docere, dicebant. Vid. *Zimmerman*, *Eenzaamheid*, *Tom.* II. *p.* 104. Similiter quærimus, illa *Intuitio intellectualis* quomodo differat ab ea mentis elatione et agitatione, quæ *phantasia* dici solet. Si *eadem* res est: quæro, si phantasiæ fides habenda sit, quare minus verum sit, si quis se vitreo corpore esse aut

esse, quam ut nunc, relicta ac penitus abjecta ea parte, quæ nullum solatium præberet, in *contrariam* partem ita ruerent, ut hanc unice amplecterentur? Itaque res a Rationalismo pervenit ad Mysticismum, quorum alter alteri contrarius est. Quod si ea exstitisset rationis sensûsque temperatio, in qua posita est veræ religionis natura, non tam facile Mysticismus caput extulisset. Quod nostrorum hominum exemplo declarari potest. Quamquam enim non negamus, eorum, quæ viximus, temporum eam vim fuisse, ut in multorum animis religionis *sensus* solito magis excitatus sit, tamen immunes nos a Mysticismi labe servavimus, ita judicantes, nullam esse religionem, quæ rationis sensûsque æquabilitate careat. Utinam Germani sic semper judicassent! Incipiunt tamen ita judicare. Multa et in aliis eorum scriptis et in Annalibus Litterariis indicia exstant, e quibus intelligi potest, multos eorum paulatim redire ad illam de religione sentiendi rationem, quam nos semper retinuimus. Quæ ratio quo

---

serpentes in ventre alere, quam si Absolutum se intueri dicat. Sin vero ista Intuitio a phantasia diversa est, rursus quærimus, quomodo altera distingui ab altera queat?

Sed hæc hactenus. Satis esse demonstratum arbitror, *Schellingianæ* doctrinæ eam esse indolem, ut Mysticismum pariat, non minus, quam omnem reliquum Mysticismum, *otiosum*, *varietatis expertem*, et *obscuris notionibus implicitum*.

magis invalescat, eo deteriorem fieri Mysticismi causam necesse est. — Quid alteram illam Mysticismi causam dicam, in *communi Germaniæ calamitate* positam? Vixdum perlatum erat, perdomitam esse in Russia scelestissimi gladiatoris ferociam, cum Germanorum animi ad libertatis recuperandæ spem exardescerent. Pugnata pugna Lipsiensis est, cujus exitus et Germaniæ et universæ Europæ salutem attulit. Cujus igitur calamitatis vis hominum animos ad eam tristitiam, quæ Mysticismi propria est, composuerat, eâ nunc depulsâ, probabile non est, ipsum Mysticismum diuturnam stabilitatem esse habiturum.

4. Quartam causam petimus ab ipsius philosophiæ *Schellingianæ* indole ac natura caduca, ut nobis videtur, et in ruinam prona. Hæc philosophia, per se Mysticismi adjutrix et commendatrix, in illud tempus incidit, quo, etiam sine omni philosophia, magna erat animorum in Mysticismum propensio. Quæ ut egregia erat doctrinæ *Schellingianæ* occasio, ita illius propensionis causis, ut vidimus, fere sublatis, illa doctrina magna commendationis parte privata est. Ipsum autem hujus philosophiæ argumentum si consideremus, ecquid tandem illa habet, quo diu se tueri possit? Non quærimus, quam vera sit hæc doctrina, sed quam spem habeat diuturnitatis? Concedamus etiam, si hæc philosophia interierit, ipsam veritatem esse interituram. Nihil ad præ-

sentem causam. Hunc semel errorem homines susceperunt, ut, quid verum falsumve sit, ratione sive theoreticâ sive practicâ dijudicandum esse putent. Quam opinionem cum eripi sibi non patiantur, illud quæritur, an *talibus* hominibus diu probari hæc *Schellingii* doctrina queat? Primum igitur superiori Capite vidimus, quæ sit *Schellingii* de Deo ac de virtute sententia: vera fortasse, non enim repugno: sed tamen tanta plerorumque perversitas est, ut hæc *Schellingiana* veritas ipsis impium commentum videatur, quo religionis ac virtutis nervi incidantur. Quid theoretica ratio? Desipiunt homines, cum hunc mundum adspectabilem *esse aliquid per se*, ac vere existere, arbitrentur. Magna amentia est, fateor: sed tamen ita arbitrantur ii, ex quorum judicio pendet *Schellingianæ* doctrinæ non veritas, sed aut constantia aut interitus. Concedunt: quæ est summa eorum liberalitas: concedunt igitur, sensuum auctoritate non posse evidentissime effici, mundum *vere* esse: sed hæc rursus eorum morositas ac pertinacia est, ut probabilitatem sequendam esse putent, atque longissime absint, ut quod evidenter effici nequeat, id continuo falsum existiment (*t*). Præterea tanta hominum impudentia est, ut nullam doctrinam veram esse pu-

(*t*) *Süskundii Magaz.* P XII. *p.* 116.

tent, cujus tamquam fundamenta ipsis, ipsis inquam, qui elapsi ex Absoluto sunt, infirma videantur. Non tantum negant plerique, se umquam Absolutum intuitos esse: hoc enim nihil ad *Schellingium*, qui profecto in culpa non est, si illi lippiunt: sed illud etiam negant, fieri posse, ut homines Absolutum intueantur, aut quicquam ad eam rem probandam a *Schellingio* esse allatum (*u*). Et tamen, ut ab istis vespertilionibus judicatum fuerit, ita erit *Schellingii* fortuna. Porro quærunt, qualis sit illa ab Absoluto defectio, ex qua hic mundus adspectabilis ortus sit, aut quomodo ex ea hujus universitatis ornatus, ordo, constantia, nasci potuerit. Alias quæstiones adjungunt, quas quo minus *Schellingius* curat, eo magis illi urgent et instant, et satisfieri sibi volunt. Tantas igitur difficultates cum non tam homines, quam ipsa humana natura huic doctrinæ objiciat, brevi et ipsam hanc philosophiam, et Mysticismum, cujus illa mater est, interiturum esse confidimus (*v*).

(*u*) Vid. *Bachmann. Ueber die Philos. meiner Zeit*, *p.* 216.

(*v*) Omnino nullum gravius et periculosius bellum est, quam quod cum ipsa natura geritur. Nolumus iniqui esse, nec *Schellingio* quicquam detrahere. Sed in philosopho non tantum ingenium, sed etiam judicii severitas spectari debet, quæ illi, si nimis efferat se et luxurietur, tamquam Pallas Homerica, manum injiciat. Quamquam *Schellingius*, etsi inge-

5. Postrema denique causa posita est in ipsius nationis Germanæ indole. Nos cum supra hodierni Mysticismi duas præcipuas causas explicaremus, diu nobiscum meditati sumus, tertiamne

---

niosus, tamen ne ingenio quidem, cujus munus in *inveniendo* cernitur, tantum valere videtur, quantum aut *Kantius*, aut alii haud pauci philosophi. Quid enim *invenit? Absolutum*, i. e. *Identitatem* Objecti et Subjecti esse principium philosophiæ. Primum nego, hanc sententiam ita prorsus novam esse, ut *Schellingius* hujus inventi auctor dici debeat. Testor scholam Eleaticam, Neoplatonicos, testor denique *Spinozam*, a quibus quamquam *Schellingius* haud uno nomine discedit, tamen non tam novam doctrinam invenisse, quam veterem immutasse dicendus est. Quinetiam *Spinozæ* et *Schellingii* doctrinam prorsus eandem esse, nuper contendit *Bachmannus*, l. c. *p.* 213. conf. etiam *Ammon*, *Krit. Journ. Tom.* I. *P.* I. *p.* 1 sqq. Sed etiamsi nemo ante *Schellingium* de Absoluto fuisset locutus, tamen non tantam, quantam multi putant, ingenii laudem habiturus fuisset. *Fichtius* constituerat principium philosophiæ *subjectivum*. Quærit *Schellingius*, quidni *objectivum* potius principium constituatur? Intelligit, utrumcunque fiat, arbitrarie fieri, nullam enim causam esse, cur alterum principium alteri anteponatur. Hoc videre, non est profecto tanti ingenii, ut admirabilitatem facere debeat. Jam, cum vidisset, principium philosophiæ neque *subjectivum*, neque *objectivum* esse, eo ferebatur, quo res ipsa eum deducere debebat, ut *superius* aliquod principium anquireret, quod neque *subjectivum* esset, neque *objectivum*. Reperit *Absolutum*, sive *Identitatem objecti* et *subjecti*. Præclare quidem, modo doceat, quid sit Absolutum, aut quomodo *objectum* et *subjectum idem* esse possint? Et tamen vide, quam tenax sit hujus principii! Omnia sensuum testimonia, omnia rationis et theoreticæ et practicæ

causam adjungeremus, *novitatis studium*, quo morbo se laborare, ne ipsi quidem, ut opinor, Germani negaverint. Omnino tulit hac ætate eorum regio multos præclaros viros, et cum de reliquis disciplinis, tum de philosophia egregie meritos. Sed nescio, quo fato accidit, ut multi eorum potius quid novum, quam quid verum sit, quærere videantur. *Kantiani* nominis glo-

---

placita, ab ipsa natura nobis insculpta, repugnant. Tuendum tamen principium est. Quid facit philosophus? Inauditam vim cum universæ, tum humanæ naturæ infert. Quæcunque repugnant, ea tollit; nihil ceteris hominibus tam firmum, tamque certum videtur, cui ille parcat. Nec vero facilem ac subtilem et philosophi judicio dignam disserendi rationem adhibet, sed monstra parit et bacchatur. Loquitur de defectione ab Absoluto, et ne verbo quidem docere potest, quomodo ex ea defectione hæc rerum universitas existere potuerit. Multa addit, ut supra vidimus. Et ceterorum quidem philosophorum ea modestia esse solet, ut, cum rationi sive theoreticæ sive practicæ certa quædam et omni demonstratione majora placita adsignent, quicquid cum his placitis pugnet, id continuo negent verum esse posse. Hæc placita si *Schellingius*, Scepticorum more, subtiliter oppugnare voluisset, non fuisset reprehendendus. Ille vero *a priori*, ut ajunt, efficere voluit, ea falsa esse debere, jamque parum curare videtur, *quomodo* tollantur, dummodo tollantur. Omnino ingeniosus vir est *Schellingius;* judicii autem severitatem simul ac modestiam in eo requirimus. Quotus enim quisque est paulo prudentior philosophus, qui, cum Absolutum posuisset principium philosophiæ, post autem intellexisset, quantis difficultatibus ea sententia premeretur, non potius opinionem suam abjecisset, certe tacuisset, quam eam, *Schellingiano* more, defendisset?

riâ, ut Miltiadis tropæis Themistocles, excitati alii sunt, ut et ipsi, novâ philosophandi ratione prodendâ, in ejusdem celebritatis societatem venirent. Neque caruit res successu. Subsequens superiorem gloriæ possessione orbavit, quique novissimus esset, is demum verum vidisse visus est. Eadem *Schellingii* fortuna fuit, atque idem erit casus (*w*).

(*w*) Ad eorum, quæ hoc Capite scripsimus, haud inutile fore arbitramur, si quis comparaverit, quæ de historia *Theophilanthropismi* disseruntur in *Tzschirneri Memorabilien* II. 2. et in Diario: *Bijdragen tot de beoefen. en Geschied. der Godgel. Wetensch.* 1818. *Tom.* VI. P. III. *p.* 313—329.

CAPUT IV.

QUATENUS SENSUS IN JUDICATIONE ET USU RELIGIONIS CUM NATURALIS, TUM DIVINITUS PATEFACTÆ, RATIONI SUCCURRERE, EJUSQUE LOCUM TENERE ET POSSIT ET DEBEAT?

Unus omnium gravissimus est locus, quem perpurgare debemus, antequam hujus disputationis finem faciamus. Si enim mystica illa ratio, quæ multis hoc tempore placet, non probanda videtur, minime tamen sequitur, sensui nihil omnino in religionis causa tribui debere. Itaque sapientissime a Vobis, Viri eruditissimi, quæsitum est, *quatenus sensus in judicatione et usu religionis cum naturalis, tum divinitus patefactæ, succurrere rationi ejusque locum tenere, et possit et debeat?* Fateor autem, hanc quæstionem primum mihi tam late visam esse patere, ut eam non partem esse debere majoris alicujus quæstionis, sed ipsam peculiari disputatione dignam existimarem. Nec tamen abjicere volui semel susceptum scribendi consilium. Ita enim mecum cogitabam,

brevi sed diligenti scriptione vos fore contentos; vos enim omnium minime ignorare, quanti sit argumenti quæstio, neque eam reliquæ quæstioni adjuncturos fuisse, nisi breviter eam tractari voluissetis. Faciam igitur, ut et vos vultis, et ipsa hujus disputationis ratio postulat.

Religionis voce duo continentur: alterum, notio Dei rerumque intelligibilium; alterum, notio conjunctionis nostræ sive necessitudinis (relationis) cum Deo rebusque divinis. Si enim Deus est, nec tamen ulla est nostra cum Deo conjunctio, nulla religio esse potest (*x*). Possumus autem mente et cogitatione alteram notionem ab altera sejungere, atque bipartita disputatione primum de religionis sive naturalis, sive divinitus patefactæ argumento *per se spectato* disserere, tum vero idem illud argumentum considerare, tamquam *ad nos pertinens*, atque cum *humani generis causa conjunctum*. Illam disputationis partem *theoreticam*, hanc, *practicam* appellemus.

I. Primum igitur illud videamus, in quæstione *theoretica* de Deo rebusque divinis sitne aliquis sensûs usus, et qualis ille usus sit? Duplex

(*x*) *Cic. N. D. Lib.* I. *Cap.* II. » Sunt philosophi et fuerunt, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem Deos. Quorum si vera sententia est, quæ potest esse pietas? quæ sanctitas, quæ religio?

usus intelligi potest, quem et Vos ipsi, Viri eruditissimi, in proposita quæstione significastis, ut sensus *aut* rationis locum teneat, *aut* rationi succurrat. Nos quidem de utroque illo usu singulatim exponamus (*y*).

(*y*) Vix opus est monere, prorsus perinde esse, utrum in hac causa *rationis*, an vero, ut est in quæstione, *ratiocinationis* voce utamur. Hæc enim sine illa esse non potest. Maluimus autem illam vocem usurpare, quia ratio melius, quam ratiocinatio, *sensui* opponi videbatur. Majoris autem ponderis est animadvertisse, quem in hac disputatione intelligamus *sensum*. Vidimus in hujus scriptionis initio, cum Mysticismum *sensu duci* dicimus, hoc ita esse intelligendum, eum sequi obscuras illas notiones, quæ cum sensu sint conjunctæ, atque ex hoc oriantur. Similiter hoc loco *sensûs* vocabulo intelligimus obscuras religionis ac rerum intelligibilium notiones, quæ in animis nostris insunt, atque cum natura nostra arctissime sunt copulatæ. Sed in causa ac veluti in fonte harum notionum aliquid discriminis inest. Apud Mysticum proprie ita dictum, earum causa et origo est *factum aliquod:* i. e. ille divinitus se affectum sentit, atque hic sensus in ejus animo excitat notiones religiosas, sicut in omni alia re ab effectus cogitatione ad cogitandam causam humana mens proficisci solet. Nos autem hoc loco non loquimur de notionibus, quæ a *facto aliquo*, sive *ab affectione divina*, sive, si mavis, *a sensu subjectivo*, ortæ sint, (quoad certe nobis conscii simus) sed quæ ita in animo insint, ut earum principium et ortum ignoremus. Cum igitur, qui has notiones sequitur, illum *sensum* sequi dicimus, hoc dicimus, illas notiones non esse ratione quæsitas, sed omni argumentatione antiquiores. Eo autem majori jure eas *sensûs* vocabulo complectimur, quod, ut post videbimus, adeo

Cum in hac causa quæritur, possitne aliquando ac debeat sensus *locum tenere rationis?* illud quæritur, fierine aliquando possit, ut sensus nos plura ac certiora de Deo ac rebus divinis edoceat, quam ratio nos edocere possit, ita, ut non amplius ratio, sed sensus nobis sequendus sit? Equidem, ut verum fatear, numquam id fieri posse arbitror. Quod ne temere dicere videamur, explicandum est, quotuplex esse possit rationis, ut cum aliis rebus, sic cum iis, quæ ad religionem pertineant, conjunctio (relatio). Ratio igitur, aliquam doctrinam de Deo rebusque divinis *aut* secum et cum Sacris Literis pugnare judicat, *aut* eam prorsus ignorat, *aut* eam quidem veram esse novit, sed ejus naturam et indolem cognitam atque perspectam non habet, *aut* eam non satis certam existimat, *aut* eam bene cognitam habet, estque ipsi de hujus doctrinæ veritate persuasum.

1. Primum igitur illud quæritur, possitne ac debeat sensus succedere rationi, ubi hæc aliquam de Deo rebusque divinis doctrinam secum aut cum Sacris Literis pugnare judicet? Qua quidem quæstione duæ aliæ continentur: altera, an sensus ita cum ratione et cum S. Literis pugnare queat,

---

obscuræ sunt, ut earum ne distincte quidem nobis conscii simus, sed eas *esse*, ex efficaciâ earum intelligamus, i. e. ex vi, qua animum afficiunt.

ut, quod ab his tamquam absurdum rejiciatur, id a sensu, tamquam verum, defendatur? altera, an, si ea discrepantia existere queat, plus sensui, quam rationi rectæ ac Sacro Codici tribui debeat? Neque difficile est, ad utramque quæstionem respondere. Nam ad priorem illam quod attinet: non quæritur, possitne ea esse rationis atque sensûs pugna, ut, quam rem ratio ut falsam et commenticiam rejiciat, eâ sensus afficiatur. Quis tam ferreus est, cui non, *Burgeri* Eleonoram legenti, frigidus horror membra quatiat, cum tamen rem ipsam fictam ac fabulosam esse, sciat? Sed non est hæc pugna rationis cum sensûs *judicio*, sed cum sensûs *affectione*, quæ affectio minime demonstrat, ut mox declarabitur, sensum, qua re *moveatur*, eandem etiam *veram* judicare. Nos quidem fieri posse, negamus, ut sensûs judicium cum judicio rationis pugnet; quamquam non necesse putamus, eam rem urgere. Si enim quæritur — nam hæc altera quæstio erat — illa sensûs commotio (quæ cum rationis judicio quodammodo pugnare videri queat) possitne rationis judicium convellere, explicandæ sunt illius affectionis causæ, quæ nobis videntur esse duæ. Altera causa est, si ratio aliquam rem, tamquam falsam, rejicere tantum *videtur*, cum re vera adhuc aliquid dubitationis supersit. Quod declarari potest eorum hominum exemplo, qui de superstitionis vanitate belle disputare solent, cum iidem

in solitudine atque in tenebris contremiscant. Iste autem tremor non docet, esse larvas, sed tantum, illis hominibus non satis esse persuasum, eas non esse. Si autem ratio aliquam rem firmis argumentis falsam esse judicat, et tamen sensus eâ re commovetur, tum hæc commotio tribuenda est *phantasiæ*, quæ est altera causa, qua fieri possit, ut sensus moveatur aliqua re, quam ut falsam respuat ratio. Satis est ad commotionem, si modo ea res *cogitari* potest, qualis est illa *Burgeri* fabula; neque, si recte loqui volumus, sensus afficitur re ipsa, sed rei cogitatione. Apparet igitur, si a ratione sensus dissideat, eam pugnam numquam eo valere debere, ut, quod aut cum recta ratione aut cum S. Codice pugnet, id sensûs auctoritate pro vero habeamus, sed potius iis, quas memoravimus, causis illam contentionem esse tribuendam. Si enim rationi de rei falsitate *prorsus* persuasum est, sique illa res ita absurda est, ut nulla *phantasia* eam, tamquam veram sibi fingere queat (qualis est circulus quadratus), numquam a rationis judicio sensus aberrat, i. e. sensus ea re non movetur, quia ratio eam *omnino* falsam esse, neque veram esse *posse*, judicat.

2. Neque difficilis est secundæ quæstionis tractatio, possitne ac debeat sensus tantum valere, ut ejus auctoritate aliquid, quod ratio ignoret, vere existere, credendum sit? Potest enim illud

ignorare bifariam accipi, ut aut ejus rei ne notionem quidem habeamus, aut, si quidem habeamus, nesciamus, sitne aliquid, quod huic notioni respondeat? Atqui, si nulla animo obversatur imago, i. e. si ejus rei ne in mentem quidem umquam venit, satis apparet sensum ne moveri quidem posse. Antecedit enim sensûs commotionem rei commoventis idea: neque Mysticus, proprie ita dictus, umquam fuit, cujus animo, antequam a Deo se singulari quadam ratione affici et commoveri sentiret, non Dei notio inseserit. Sin vero habemus aliquam illius rei notionem, nec tamen ratio utrum sit illa res nec ne, novit, moveri sensus potest, docere, eam rem vere existere, non potest. Cuique enim nostrum sæpe usu evenit, atque paulo ante a nobis animadversum est, sensum affici posse rebus, quas ratio commenticias esse, doceat. Si igitur phantasia idem efficere potest, quod ipsa veritas, in sensûs commotione nullum inest veri argumentum.

3. Veniamus ad tertiam quæstionem, si ratio aliquam rem vere existere doceat, cujus tamen *naturam* cognitam non habeat, possitne sensus illius rei naturam patefacere? Ad quam quæstionem, ne longiores simus, quam opus est, ita respondebimus, ut unice in rebus intelligibilibus, et ad religionem pertinentibus, versetur oratio. Præclare nobis videtur *Kantius* repressisse auda-

ciam Dogmaticorum, qui rationis theoreticæ alis hinc evolare se posse in mundum intelligibilem existimarent, nec cogitarent, eam esse *temporis spatiique* conditionibus adstrictam, quæ errorem pariant necesse est, si illis rebus adhibeantur, quæ temporis sint spatiique expertes. Si enim ne res quidem hujus mundi cognoscimus, quemadmodum nobis *apparent*, quomodo tandem ea, quæ ne in sensus quidem cadunt, cognoscamus? Sed de illa *Kantiana* sententia utcunque statuatur, illud quidem omnes modesti atque prudentes concedere debent, divinam naturam neque perspectam nobis esse, neque perspici posse, eam autem, quam nos appellemus, cognitionem tantum *symbolicam* esse, i. e. niti *comparatione* rerum finitarum cum Dei natura infinita. Itaque quid Deus *non* sit, dicere possumus, quid *sit?* non possumus. Jam si cogitamus *naturam infinitam*, fieri aliter non potest, quin vertigine aliqua corripiamur, atque sensus hac notione vehementissime moveatur. Et ipsa enim idea obscura est, et plurium aliarum idearum fons, æque obscurarum, in quibus, ut ante diximus, sensûs sedes est. Atque hinc intelligi etiam potest, nihil valere sensum ad naturæ rerumque divinarum declarationem. Si enim notio nostra naturæ infinitæ tantum symbolica est, nec, ut Logici loquuntur, adæquata, reliquæ ideæ, quæ universali illa notione continentur, quibusque sensus movetur,

non nisi symbolicæ esse possunt, quemadmodum a lutulento fonte non nisi rivi lutulenti manare possunt. Periclitemur, si placet. Quatitur sensus notione naturæ infinitæ. Nec mirum: hæc enim notio si animo obversatur, plures simul imagines offeruntur, quibus obruimur: cogitamus naturam æternam, nullis limitibus circumscriptam, ubique præsentem. Hæc omnia, atque alia plura, *infiniti* notione continentur. Sed quamcunque harum notionum secundariarum teneas atque intueare, eam æque symbolicam (negativam) esse reperias ac primariam illam et universalem notionem *infiniti*. Qui enim, ut hoc utamur, divinæ naturæ æternitatem cogitat, quid tandem aliud cogitat, quam non cadere in Deum ortum et interitum? Atqui hoc non est æternitatis notionem declarare, sed tantum dicere, quid *non* sit æternitas. Idem transferri ad alia religionis sive naturalis, sive divinitus patefactæ placita potest, quæ *mysteria* appellari solent. Efficitur ergo, si ratio naturam rei ignoret, sensu quidem ad eam cognoscendam nihil profici posse.

4. Neque longa explicatione indiget, quod quarto loco quæritur, quæ sit sensûs auctoritas, si ratio aliquam doctrinam non satis certam judicet. Nam moveri posse sensum re incertâ, nemini mirum videatur, qui quidem recordetur, quod ante diximus, eum vel re falsâ posse feriri. Sed in præsenti quoque causâ sensus nobis nihili esse videtur. Duabus enim causis fieri potest, ut

dubia aliqua re sensus commoveatur. Aut enim fingit phantasia, rem *non* esse dubiam, sed veram ac certam, aut movetur sensus, *quatenus* res probabilis nobis videtur. Et prior illa causa si existat, nihil sensui tribuendum esse, et res ipsa loquitur, et ex iis, quæ supra de quæstione prima disseruimus, intelligi potest. Sin vero sensus aliqua re feritur, *quatenus* illa res nobis dubia, nec certa videtur, fieri aliter non potest, quin notiones, cum illa re conjunctæ, æque dubiæ sint, atque earum fons. Si igitur his notionibus sensus afficitur, notionibus incertis afficitur, a re incerta profectis. Fieri quidem potest, ut sensus aliqua re, quam nec ratio certam judicet, nec phantasia ut veram fingat, tamen ita moveatur, ut vehementius moveri non posset, etiamsi rationi illa res indubia videretur; sed si quis cogitationem in se converterit, is facile compererit, se tum non moveri magnitudine *rei vere existentis*, sed magnitudine *ideæ*, i. e. *rei cogitatæ*. Si igitur ex eo, quod aliqua res nobis magnum quid esse videatur, non licet rationem concludere, eam rem esse veram, sequitur, sensûs commotione non rei veritatem, sed notionis magnitudinem declarari. In quo illud etiam animadvertendum est, eum, qui re aliqua dubia moveatur, illam rem ab ea parte spectare, quæ veri similitudinem habeat. Idem si a contraria parte spectaret, atque phantasiam cohiberet, non movere-

tur: falsa enim res videretur. Sin vero moveretur, in *idea* rei, non in veritate, posita esset commotionis causa. Qui igitur sensûs auctoritate rem aliquam dubiam pro certa esse habendam existimat, in illum disputandi errorem incidit, quam *principii petitionem* dialectici appellant. Antequam enim sensus eâ re, ut verâ, moveatur, ratio illam ab ea parte spectare debet, qua vera esse videtur. Atqui eodem jure ex adversa parte considerari poterat. Si igitur tanta esset sensûs auctoritas, sequeretur, veritatem rei in casu esse positam atque in arbitrio ejus, qui eam rem ab illa malit, quam ab hac parte, spectare.

5. Quod postremo loco quæsivimus, possetne ac deberet sensus rationi succedere tum, cum hæc aliquam doctrinam bene cognitam haberet essetque ei de illius veritate persuasum; est illud a nobis positum, non quo esse nonnullos existimaremus, qui ita fieri posse ac debere, arbitrentur, sed ne quam partem in distribuendo omisisse videremur. Si enim rationi cognitum quid ac persuasum est, nulla exstare causa potest, cur loco moveatur, aut hunc locum occupet sensus, qui in obscuris, ut illa in perspicuis, notionibus versatur.

Illud igitur satis esse declaratum arbitror, si Deus atque res divinæ *per se* spectentur, in hac quæstione nullas esse sensûs partes, omnem autem nostram rerum intelligibilium scientiam, si qua sit, aut rationis humanæ aut Sacrarum Literarum

auctoritate niti oportere. Cum autem de Deo rebusque divinis ita locuti simus, *quasi ad nos nihil pertinentibus*, erunt fortasse, quibus non satis consentanea dixisse videamur, quod *sensûs* vocem sæpius usurpaverimus. Quasi vero, inquiunt, cujusquam sensus moveri queat re non ad se pertinente. Quorum quidem orationi vix necesse est, ut occurramus. Ad quemnam enim nostrum aut Homerica Andromache aut Hecuba Euripidea pertinet, et tamen quis tam ferreus, qui earum malis non illacrymetur? Et ne in his fæminis ipsam humanitatis conjunctionem nobis objiciant, quem non aut stellis distinctum coelum, aut sylvarum proceritas, aut montium altitudo, aut procellosi maris adspectus moveat vehementissime ac percellat? Et tamen nulla est harum rerum nobiscum necessitudo nisi unius adspectûs et cogitationis.

Ceterum quæ de ratione disseruimus, non ita continuo interpretanda sunt, quasi tantam ei auctoritatem tribuamus, ut et *esse* res intelligibiles et *quales* sint, nos certo docere queat: quam auctoritatem recentiores philosophi *constitutivam* appellant. Satis est rationi adsignare auctoritatem *normativam* sive *regulativam*, ut vocant: quam illa obtinet, cum judicia sua componit ad certam aliquam normam, cui per suam ipsa naturam ita adstricta sit, ut aliter judicare non possit,

ita tamen, ut id, quod ad eam normam judicetur, non continuo *per se* etiam verum esse ac certum, existimetur. Sed nos de utriusque auctoritatis discrimine alio loco monebimus.

II. Veniamus igitur ad alteram hujus disputationis partem, quam *practicam* appellavimus, i. e. qua Deum atque res intelligibiles spectemus, *ut nobiscum conjunctas et ad nos pertinentes.* Hic igitur agendum est de ea divinæ naturæ atque humani generis necessitudine, quæ *Religio* appellatur, atque videndum, possitne aliquando ac debeat in religionis causa sensus occupare ac tenere locum rationis?

Antequam vero hanc quæstionem tractemus, monendum est, nos, cum in superiori (theoretica) hujus disputationis parte Rationem et Sacram Scripturam conjunxerimus, quia nulla esset sejungendi causa, in hac practica parte de singulis his religionis fontibus singulatim esse dicturos: cujus separationis causam postea declarabimus.

Primum igitur videamus, in causa *religionis naturalis sive rationalis* quid sensus valeat. In quo mirari satis nequeo, eos, qui de causâ, i. e. de *origine* religionis disserant, ita fere hanc rem agere solere, quasi quæratur, a quo fonte homines primum hauserint *notionem naturæ divinæ*, sive, quæ causa eos primum induxerit, ut Deum

aut Deos esse crederent (*z*)? Et facile quidem concedimus, illam fidem, *esse numen divinum*, ita esse cum religione conjunctam, ut altera nequeat ab altera avelli, sed docendum erat, qualis esset illa conjunctio. Si enim rationis auctoritate, sive alia quacunque de causa homines sibi persuaserint, *esse naturam divinam*, non continuo sequitur, eos *eâdem de causâ* sibi persuasisse, eam naturam religioso cultu esse prosequendam. Aliud enim quid est, *Deum esse*, credere, aliud, sibi persuadere, Dei et humani generis eam existere *necessitudinem*, in qua *religio* cernitur. Sunt quidem, ut diximus, hæ res arctissime conjunctæ, sed nihil impedit, quonimus earum causas ac veluti fontes diversos esse posse, statuamus. Et omnino diversi fuisse videntur. Quacunque enim via barbaras nationes eo perduxerit ratio, ut Deos esse, crederent (*a*), cave credas, eandem rationem eas Theologiam aliquam Naturalem docuisse, ita informatam, ut inde subtili argumenti conclusione necessitas religionis efficeretur (*b*).

(*z*) Sic faciunt, ne alios nominemus, *G. E. Schulze*, *Grundriss der Philos. Wissensch. Tom* II. *pag.* 302. sq. et *Meiners*, *Oordeelk. Gesch. der Godsd.* I. *p.* 17 sqq.

(*a*) *Cic. Nat.* D. II. *cap.* V. et *Wegscheider*, *Instit. Theol. Chr. p.* 7.

(*b*) Conf. *Herder*, *Ideen zur Philos. der Gesch. der Menschheit*, II. *p.* 266.

Sed nolumus a præsenti causa longius digredi. Non quæritur, in gignenda religione quid sensus valuerit aliquando, sed, *quid valere possit ac debeat.* In quo non necesse est, ut, quid sit *religio?* subtiliter definiamus: aliis alia placet definitio. Illud autem convenit inter omnes, religionis fundamentum esse *mutuam Dei atque humani generis necessitudinem.* Neque Numinis divini, neque generis humani, *per se spectati*, notio religionem affert, sed hæc ex utriusque notionis copulatione efflorescit. Tenemus autem universam vim *necessitudinis*, i. e. *relationis*, ut dicunt: utrum ea pertineat ad naturam hominum physicam an moralem, non disputamus. Hoc unum quærimus, utrum rationi an sensui tribuendum sit, ut, *esse illam necessitudinem*, credamus? Et superiori quidem illa quæstionis parte hæc duo continentur, alterum, an ratio docere possit, illam Dei et generis humani necessitudinem esse *posse?* alterum, eam re vera *esse?*

Et ratio quidem possitne docere, illam necessitudinem esse *posse?* est illa quæstio ejusmodi, ut pro Dei notione, quam informemus, ad eam responderi debeat. Homerico more si naturam divinam humanâ naturâ metimur, atque ad divinitatem transferimus, quæ humanitatis propria sint, nil impedit, quominus Deos naves nobiscum conscendere, curribus nostris insidere, peregrinari

nobiscum, epulari, putemus posse (*c*). Sin vero eam notionem informamus, quæ digna est naturâ atque majestate divinâ, equidem, quomodo ratio certo efficiat, illam necessitudinem existere *posse*, fateor me non intelligere. Antequam enim, aliquam rem esse *posse* (possibilem esse), efficere queamus, habere nos necesse est aliquam illius rei notionem, animo impressam. Habeamus igitur aliquam notionem illius necessitudinis, quæ humano generi cum divina natura intercedat. Ergo, inquit, *possibilis* est illa necessitudo, cogitari enim potest. Cave ita argumentere. Est tantum *logica* possibilitas, ut appellant; accedere oportet possibilitatem *metaphysicam*, in ipsa rei, de qua agatur, naturâ fundatam: i. e. ut res aliqua *possibilis* dicatur, non tantum convenire debet cum legibus *cogitandi*, verum etiam cum legibus *existendi*. Qui igitur docere vult, eam, de qua loquimur, necessitudinem esse *posse*, is demonstrate debet, eam non pugnare cum legibus *existendi*. Hoc autem demonstrare non potest, nisi cognitam habeat ac perspectam naturam divinam, in qua, ut ita dicam, positum est illius possibilitatis fundamentum. Si enim natura divina re-

---

(*c*) Conf. nostra scriptio: *Fragment eener Voorlezing over de Godenleer van Homerus*, in libro, cui titulus, *Mnemosyne*, ed. a *Tydemanno et v. Kampen*, *Tom.* II. *p.* 57 sqq.

pugnaret, non esset possibilis illa necessitudo. Quomodo autem, cum omnis nostra cogitatio temporis sit spatiique conditionibus adstricta, Deum cognoscere queamus, in cujus notionem nec tempus nec spatium cadat? Igitur ratio si docere vult illam divinæ naturæ ac generis humani conjunctionem esse *posse*, suum ipsa judicium evertit. Si enim fatetur, quod, nisi admodum procax sit, fateri debet, se nullam habere justam et accuratam (positivam) Dei cognitionem, judicare non potest, illa conjunctio esse *possit*, nec ne? Sin vero illa Dei notio informetur, quam nos informare cogimur, i. e. si, sublata Dei infinitate, Numen supremum *temporis spatiique* angustiis includitur, tum quidem doceri potest, illam necessitudinem esse *posse*, sed nomine relicto, ipse Deus tollitur.

Sed fortasse, illa necessitudo *possitne* esse, inutilis videatur disputatio. Si enim ratio doceat, eam *re vera existere*, dubitari nequit, quin existere *possit*. Atqui hoc ipsum quomodo tandem ratio demonstraverit? Sive enim ad physicam naturæ humanæ partem, sive ad moralem, illa necessitudo referatur, res non cadit in sensus nec quisquam eam experiri potest. Itaque, qui docere vult, existere illam Dei et humani generis conjunctionem, is eam rem aut *a priori*, ut ajunt, conficere debet, aut efficere, eam esse mundi rerumque humanarum rationem, quæ intelligi et

explicari nequeat, nisi illa necessitudo vere esse sumatur. Atqui illud *a priori* qui docere velit, incassum laboret. Esset enim hæc res efficienda e consideratione ipsius naturæ divinæ; i. e. demonstrandum esset, eam esse naturam divinam, ut sine hac necessitudine divinitatem suam amitteret, nec Deus existere posset. Ad hanc autem demonstrationem requireretur accurata naturæ divinæ cognitio, quâ, ut diximus, caremus. Deinde, illam Dei et humani generis conjunctionem aut *necessariam* esse oportet, ut ipse Deus eam dissolvere nequeat, aut *arbitrariam*, in Dei judicio ac voluntate positam. Illa autem libertatem Dei, i. e. ipsum Deum tollat, hæc eam ipsam ob causam, quod arbitraria sit, demonstrari *a priori* nequeat. Neque multo melior est altera disputandi ratio, quæ *a posteriori* dicitur, quæque efficere debeat, eam esse rerum humanarum rationem, quæ intelligi explicarique nequeat, nisi existere illam Dei et humani generis necessitudinem statuamus. Si enim ad *physicam* nostram naturam illa necessitudo refertur, primum, quid in ea inest, quod doceat, eam existere et integram esse non posse, nisi a natura quadam divina procuretur? Deinde, fac eam esse ejusmodi, ut, quomodo existere et salva manere possit, e *cognita nobis* serie et constitutione naturæ intelligi et explicari nequeat, quo tandem jure nostrâ aut scientiâ aut ignorantiâ *omnem* naturæ ambitum

metiamur, aut quis contenderit, si decies, quam nunc sumus, essemus solertiores ac naturæ rerum peritiores, ne tum quidem nos aliter esse judicaturos, quin natura nostra physica existere nequeat, nisi sumto ac posito divino quodam commercio, quo illa sustentetur? Aliud profecto quid est, ab ignorantia humana, aliud a re *per se* inexplicabili, argumentum ducere. Qui autem ad *moralem* hominum naturam illam necessitudinem pertinere arbitrantur, illis cum schola Kantiana suscipiendum est certamen. Docere debent, aut virtutis vim et naturam non positam esse in ipsa virtute, sed in voluntate divina, ut, si Deus aliter voluisset, alia fuisset virtutis natura; aut rationis practicæ, quæ pareri sibi jubet, nullam esse auctoritatem, nisi quatenus auctoritate divinâ nitatur. Et ratio quidem practica nos adducit, ut *Deum esse* credamus, sed nihil in ea inest, quod nos credere cogat, eam exstare Dei et humani generis conjunctionem, in qua positum est religionis fundamentum.

Sed fortasse non necesse fuerit, tam copiose disserere. Neque enim hæc ita disputavimus, ut intelligeretur, quam nos potissimum philosophandi rationem sequeremur, sed ut appareret, quamvis, ut mox videbimus, persuasio, *esse Deum*, necessario *religionem* afferat, tamen utramque rem esse diversam, neque si ratio, *Deum esse*, doceat, continuo *religionem* quoque ab eodem

rationis fonte manare. Quocirca prudenter fecisse Stoici videntur, qui, quamvis utramque rem rationis auctoritate niti judicabant, tamen alteram rem ita ab altera distinguebant, ut singulas peculiari argumentatione efficiendas esse, arbitrarentur (*d*). Itaque hoc tantum efficere volumus, si illa de religione quæstio unius rationis judicio et auctoritati relinquatur, eam causam non tam certam esse et perspicuam, quin infirmari possit, neque, si quis, una adhibita ratione, dubitet, illam dubitationem esse absurdam. Quantum in utramque partem ratio valeat, nolumus dijudicare; hoc tantum concedatur, *fieri posse*, *ut aliquis neget*, *docere rationem*, *Deus colendus sit*, *nec ne?*

Non acutissima igitur eorum nobis oratio videtur, qui, cum docere volunt, in humana natura positam esse ac fundatam religionem, hanc rem ita agunt, ut nullam gentem tam barbaram esse, tamque efferatam doceant, quæ non imbuta sit aliqua suspicione Numinis. Sed hoc ipsum non satis accurate dicunt, *religionem*, i. e. ut illi interpretantur, *persuasionem*, *esse Deum*, *funda-*

(*d*) Cic. *N. D. Lib.* II. *Cap.* I. » Omnino dividunt » Stoici totam istam de Diis immortalibus quæstionem in » partes quatuor: primum docent, esse Deos; deinde, quales » sint; tum mundum ab his administrari; postremo, consu- » lere eos rebus humanis."

tam esse in natura humana. Hoc enim volunt, quod ipsa quoque verba declarant, eam persuasionem esse omni meditatione ac ratiocinatione majorem (*e*). Atque recte ita docent, modo illam persuasionem ne cum religione confundant (*f*). Qui autem utramque rem idem significare existimant, ita fere explicant, eam esse rationis humanæ indolem, ut ab hujus mundi contemplatione facile ac sua sponte efferat se ad causam mundi cogitandam (*g*). Recte! sed jam ipsi evertunt id, quod volunt, persuasionem, *esse naturam divinam*, antiquiorem esse omni ratiocinatione. Nititur enim illa Numinis cogitatio ratiocinatione, non subtili quidem illa ac Reimariana, sed tamen rationis judicio, esse sine causa mundum non posse, quia esse nihil possit, nisi adsit ratio,

---

(*e*) *J. A. H. Tittmann*, *über Supranaturalismus*, *Rationalismus und Atheismus*, *p.* 14 sqq.

(*f*) Sententia illa, *religionem in natura humana fundatam esse*, varie est a variis explicita et tractata. Vid. quos supra laudavimus, *pag.* 20. Nota (*t*).

(*g*). Vid. præclarum *Aristotelis* locum apud *Cic.* N. D. II. *Cap.* 37. Nihil hic attinet exquirere, utrum mundi ornatus et pulcritudo, an vero rerum et causarum naturalium ignoratio apud gentes incultas pepererit Numinis divini cogitationem: quod posterius voluit *Meiners l. c.* 17. repugnante *Staudlino*, *Ideen zur Kritik des Systems der Chr. Relig. p.* 18. Est utriusque sententiæ idem fundamentum, nihil in rerum natura exstare posse sine causa.

quare quicquam existat. Hoc vero non est, *religionem propriam esse naturæ humanæ*, sed *proprium esse rationis humanæ*, *ut*, *cujusque rei esse debere aliquam causam*, existimet. Quod quidem rationis judicium si transfertur ad mundum, nascitur persuasio, esse Numen divinum; idem si ad tabulam pictam aut ad domum transfertur, pictor cogitetur aut architectus necesse est. Non magis igitur naturæ divinæ, quam architecti aut pictoris cogitatio, propria est rationis humanæ, nisi quod illa magis omnium hominum communis est, quia, ut ita dicam, mundus ubique adest, ab omnibus adspicitur, pertinet ad omnes.

Quæ cum ita sint, insculptam esse hominum animis religionem, non nego; contendo etiam. Illud vero etiam atque etiam nego, aut *agnitionem Dei* ac *religionem* idem prorsus significare, aut utriusque rei unum esse eundemque fontem, aut, si quidem persuasio, *Deum esse*, religio appellanda sit, hoc sensu religionem ita propriam esse naturæ humanæ, ut omni ratiocinatione antiquior sit. Nos igitur, ut nostram aliquando sententiam aperiamus, cum religionem in natura humana fundatam esse dicimus, hoc volumus, esse aliquid in hominum animis, omni meditatione antiquius, quod, simulac ratio, Deum esse, effecerit, nobis persuadeat, divinæ et humanæ naturæ exstare illam necessitudinem, in qua positum sit omnis religionis fundamentum. Istud au-

tem *aliquid* appellemus *sensum religiosum.* Neque cum ita dicimus, *sensûs* vocabulum alio significatu, quam aliâs, adhibemus. In hujus scriptionis exordio definivimus sensum, *animadversionem statûs sive conditionis*, *in qua nunc ipsum mens versetur.* Est illa definitio sensûs *subjectivi.* Hanc definitionem si tenemus, quæstio, *quid valeat sensus?* eadem est ac: quid illa animadversio sui valeat; quæ ei tribuenda sit auctoritas? Atqui non animadversio illa per se, sed id, *quod animadvertitur*, ille *status* ac *conditio* mentis, valere quicquam potest. Qui status ac conditio cum pendeat e notionibus, quibus mens afficitur, facile intelligitur id, quod antea quoque animadvertimus, quæstionem illam, quam posuerimus, prorsus eandem esse, ac: quid illæ notiones valeant in judicando, quid verum falsumve sit? Similis est *sensûs religiosi* ratio. *Animadvertimus* nos religiose affectos. Si igitur quæritur, *quid valeat sensus religiosus?* hoc quæritur, *quid valeat illa religiosæ affectionis animadversio.* Sed cum illam affectionem, ut quemvis alium sensum, e *notionibus* pendere necesse sit, quibus illa, ut ita dicam, constet et componatur; sic etiam quæri potest: *quæ sit earum notionum auctoritas*, *quantumque sit iis tribuendum?* Hic autem illud singulare accidit, quod illa mentis affectio (sensus subjectivus) non tantum multo vividior est, quam notionum, quæ

eam pariunt, conscientia, verum etiam, quod hæc conscientia omnino nulla est. Docet affectio mentis, eam commoveri ideis, ipsas ideas non dignoscimus, quæ quidem ita et confusæ esse inter se videntur, quasi una tantum idea sit, et ita cum animo coaluisse, ut hujus pars aliqua esse videantur.

Hunc sensum religiosum proprium esse naturæ humanæ, argumentatione non magis effici potest, quam inditum nobis esse sensum moralem, aut rationem practicam. Quemadmodum rerum natura habet aliquid ultimum et extremum, quod argumentatio migrare non potest, sic etiam in animo humano multa insunt, quæ solâ conscientiâ agnosci debent, ratione declarari non possunt. Itaque si quis sit, qui aliquo religionis sensu se imbutum neget, nec possumus cum eo nec volumus altercari. Duo tamen meminerit, velim. Primum viderit, *religionis sensu carere*, ne idem significare putet ac: *sensum religiosum obrutum esse et oppressum rebus aliis, quæ gravius, quam notiones religiosæ, animum afficiant.* Aliud enim quid est, illum sensum obtusum, aliud, prorsus nullum et deletum esse. Deinde, cum nullo sensu religioso quis imbutum se esse, dicit, illud etiam viderit, anne hoc velit, se, *nullum esse Deum*, arbitrari? Ita certe accipi vulgo solet, cum quis *religionem contemnere* dicitur:

neque negamus, et fuisse semper et hodie esse, qui, si illa dictio ita accipiatur, vere dici possint, *religionis sensu carere.* Sed ex iis, quæ supra disputavimus, intelligitur illud quæri, num quis, qui *Deum esse* credat, sensu religioso destitutus esse queat, i. e. num sibi persuadere possit, nullam sibi cum Deo esse necessitudinem? Talem hominem existere, aut extitisse umquam, negamus: si quis tamen suum ipse exemplum nobis objecerit, nolumus dicere contra, cum nulla spes persuadendi sit. Quod autem talem, qualem diximus, hominem neque existere neque extitisse umquam arbitramur, illius rei hoc etiam magno argumento esse debet, quod nulla adhuc reperta gens est, quin, cum naturam divinam exstare sibi persuaserit, eam continuo cultu religioso prosequendam esse, putet. Atqui si vere diximus, illam persuasionem longe esse diversam a religione, quærimus, unde barbaræ nationes arripuerint opinionem illius necessitudinis, quæ Numini cum humano genere intercedat: qua necessitudine, ut diximus, omnis religio continetur? Neque enim dici potest, illam opinionem natam esse e beneficiis, quæ a Diis immortalibus ad genus humanum pervenerint. *Cicero* quidem, fuisse sua ætate philosophos, docet, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem Deos. Quorum, inquit, si vera sententia est, quæ po-

test esse pietas? quæ sanctitas? quæ religio (*h*)? Potuissetne *Cicero* hoc modo oppugnare illorum philosophorum sententiam, nisi idem existimassent, Deos, etsi res humanas non curarent, tamen religiose esse colendos? Quid? quod idem *Cicero* docet, *Epicurum*, qui Deos nil agere, nil curare docuisset, tamen scripsisse libros de sanctitate, de pietate adversus Deos; eumque in his libris ita loqui, ut Coruncanium aut Scævolam, pontifices maximos, te audire putes (*i*). Et nobis quidem recte contendere *Cicero* videtur, Epicurum, cum Deos res humanas curare negaverit, evertisse aras et omnem religionem sustulisse; sed tamen apparet in eo, quanta sit vis naturæ humanæ, quæ cum Deo vel tum se conjunctam esse putet, cum a Deo se negligi arbitretur; atque perspicuo argumento est, in hominum animis esse aliquid, ad religionem vehementer impellens, quod non tam beneficiis divinis aut aliâ quacunque ratione eliciatur, quam sua sponte efferat se et ad Deum enitatur (*k*).

Jam videamus, ille sensus religiosus possitne aliquando ac debeat in causa religionis locum te-

---

(*h*) *N. D. Lib.* I. *Cap.* II.

(*i*) *Cic.* lib. cit. *Cap.* XVII, XLI, XLIV.

(*k*) *Keil* et *Tzschirner*, *Analekten*, *Tom.* I. *P.* II. *p.* 193 sqq.

nere rationis. Cunctæ gentes, si divina natura sit, eam colendam esse, consentiunt, *quomodo* colenda sit, magna est dissensio. Neque, undenam hæc dissensio sit, difficile est dictu. Ut enim quisque Numinis naturam mente et cogitatione sibi informaverit, ita aliam colendi rationem aliâ Deo gratiorem esse putet, necesse est. Itaque, quamquam apud singulas gentes singulares nonnullæ et adventiciæ causæ aliquid diversitatis afferre possunt, universe tamen verissime dici potest, quæcunque apud varias nationes in Numine colendo varietas sit, eam aut unice aut præcipue pendere ex varietate sententiarum de divina naturâ. Sed alia prorsus quæstio est, unde existiterit admirabilis illa omnium populorum consensio, omnino colendum esse Numen. Quæ profecto conspiratio nationum non per aliquam argumenti conclusionem hausta videtur atque ducta ex ipsa natura divinâ. Primum enim, ut ante diximus, posito atque concesso, *esse* aliquod Numen divinum, non est continuo ex hujus Numinis notione apta atque nexa religio. Non negamus, agnita divina natura, continuo religionem *sequi*, sed negamus, *primum* religionis sensum e cognita atque perspecta illa natura *nasci* et *effici* posse aut solere. Deinde, Epicuri exemplum, quod paulo ante posuimus, docet, etiamsi quis putet, a Diis immortalibus nihil ad hominum vitam permanare, tamen humanam naturam sua sponte ad

eos colendos efferri. Postremo, si ille sensus religiosus, illa animi ad colendum Numen propensio, niteretur argumentis, a divina natura ductis, nos quidem et hujus argumentationis nobis conscii essemus, et notiones, e quibus sensus religiosus constaret, dignoscere et a se invicem distinguere possemus. E quibus effici videtur, religionem nobis *propriam* et *nativam* esse: quod cum dicimus, hoc volumus, esse aliquid in nobis, quod nostræ nos admoneat necessitudinis cum Deo: illam autem admonitionem, sive intimam religionis conscientiam, omni ratiocinatione antiquiorem esse; hanc vero animi vocem tam validam esse, ut omnes, nolentes, volentes, eam exaudiant.

Insunt igitur in animis nostris notiones, quæ sensum religiosum efficiant; undenam sint, quandove in animos illapsæ, dici non potest. Jam si quæritur, quantum his notionibus tribuendum sit? ad eam quæstionem ita responderi non potest, ut ipsæ hæ notiones quam veræ sint, quamve falsæ, ratione dijudicemus. Cum enim non simus earum nobis conscii, fieri non potest, ut, consentaneæ sint rationi an cum ea pugnent, evidenter efficiamus. Sed si vere diximus, sensum religiosum ita proprium esse naturæ humanæ, ut ab ea divelli nequeat, sequitur, notiones, quibus ille sensus constet, æque cum natura humana esse conjunctas. Jam hoc ipsum: *indissolubili vinculo cum humana natura conjunctum esse:* hoc ip-

sum, inquam, quis non intelligit, quantam auctoritatem habeat? Quæ tandem alia est auctoritas sensûs moralis, quæ conscientiæ, quæ rationis practicæ, quam hæc ipsa, quod in natura humana insint, nec ab ea sejungi possint? Quid? ipsius rationis theoreticæ judicia si persequimur ac veluti dissuimus, nonne tandem perveniamus necesse est ad ultimum aliquod et extremum, in ipsa natura nostra positum, ultra quod progredi non liceat, omni argumentatione majus? Præterea magna quoque auctoritatis pars est, quod sensus ille religiosus omnium hominum, omniumque nationum communis est. Neque ita hic aliquis nobis occurrat, ut omnes homines omnesque nationes *errare posse*, dicat. Minime sumus ii, qui populorum consensionem legis vim habere, arbitremur. Sed nobis hoc loco non sermo est de populorum arbitrio et opinionibus, sed de constanti naturæ judicio. Errare et labi possunt omnes in *ratiocinatione*: atqui nos loquimur de re, quæ omnem ratiocinationem antecedit. Jam, si hoc nobis insitum ac prope innatum est, ut vere existere illam Dei hominumque necessitudinem existimemus, qua religio continetur, sequitur, homines sua ipsos naturâ duci et cogi quodammodo ad religionem, i. e. eos desciscere a religione non posse, nisi vi illata naturæ. In quo illud inprimis animadverti velim, cum aut judicii errori aut phantasiæ tribuendum sit, si

animus commovetur re, quæ aut falsa sit aut ab ipsa ratione falsa habeatur, in hac quidem causa neque judicii errori neque phantasiæ aliquem esse locum. Est enim sensus religiosus omni judicio antiquior. Phantasia autem in *actione* versatur, i. e. *fingit* sibi rem, eamque pro arbitrio *informat*, ejusque cogitationi *immoratur*. Nos autem neque hujus actionis, neque informationis, neque cogitationis nobis conscii sumus: accepimus potius hunc sensum, quam eum aliunde petiimus et adscivimus. Ex quo non hoc quidem efficitur, notiones illas religiosas continuo esse veras, sed illud, nullam exstare causam, quare falsas putemus.

Hac igitur religiosi sensûs auctoritate inducti, ita argumentationem concludere liceat, *illum sensum et posse et debere locum tenere rationis, cum hæc dubitet, nec certo doceat, existere illam Divinæ et humanæ naturæ necessitudinem, in qua posita est religio.* Vel potius ita dicamus: *cum ratio dubitet nec certo doceat, tum sensûs testimonium potius sequendum esse, quam rationis judicium.* Neque per ea, quæ adhuc disputavimus, dubium esse potest, quare ita faciundum esse putemus.

Non certo docet ratio, exstare illam, de qua loquimur, necessitudinem, sensus vero ait. Contendimus, sensui esse credendum. Ratione enim sensûs religiosi auctoritas convelli nequit, nisi

efficiatur, religionem esse aliquid *contradictorum*, ut hac voce utar, i. e. eam pugnare cum natura et legibus rationis. Nam cum ille sensus fundatus sit in ipsa natura humana, non potest rationi cedere, nisi hæc demonstraverit, suum de religione judicium magis etiam et altius, quam sensum religiosum, in humana natura esse fundatum, i. e. omnes cogitandi leges, se ipsam, prorsus everti, si illa Dei et humani generis necessitudo credenda sit. Illud autem quomodo tandem ratio effecerit? Illam necessitudinem pugnare cum certis atque æternis rationis legibus efficere nemo potest, nisi, id quod nemini mortalium concessum est, cognitam habeat ac perspectam et ipsius Dei naturam, et illius necessitudinis rationem. Præterea, ipse sensus religiosus argumento est, si illam religionis conjunctionem vere esse, credamus, minime vim inferri cogitandi legibus. Quamquam enim ille sensus omnem ratiocinationem antecedit, constat tamen notionibus. Quæ notiones cum rationis certis placitis pugnare non possunt, quia, ut ante, *circuli quadrati* exemplo, docuimus, sensus non afficitur, si res repugnet. Cujus rei causa est, quod notiones repugnantes (i. e. contradictoriæ) ne notiones quidem sunt, quodque prorsus sunt nihili, quia res, quæ cogitari non possunt, nihili sunt. Neque profecto illa omnium nationum ad religionem propensio intelligi posset, si religionem re-

spueret ratio. Unde efficitur, si qui sint, qui religionis necessitudine cum Deo se conjunctos negent, eorum sententiam non, ut alteram illam, ab ipsa natura humana esse ductam et haustam, sed, ut ita dicam, sero natam. Quod quamquam per se non impedit, quominus aliqua sententia vera esse possit, tamen in hac causâ magnam habet suspicionem falsitatis. Cum enim sensus religiosus in ipsa natura humana positus sit, ea sententia, qua ille sensus convellatur, similiter in humana natura positus esse nequit. Dissideret enim a se ipsa nostra natura. Idem res ipsa confirmat. Si enim illa sententia, nullam esse Dei atque humani generis conjunctionem, naturæ nostræ æque propria esset, ac sensus religiosus, nulla esset causa, cur omnes nationes hunc sensum potius, quam illam sententiam, sequerentur. Itaque illa sententia sic dissui nequit, ut tandem ad simplicissima rationis stamina pervenias, quæ amplius retexi non possint. Et tamen, ut supra diximus, ut aliquid aut verum aut falsum esse, demonstrari possit, requiritur, ut omnis disputatio tandem in natura humana subsistat, nec novo argumento confirmari queat. Hoc fundamento sensus religiosus nititur, contraria sententia caret: atque eam ob causam illum potius, quam hanc, sequendum esse contendimus, quia, si contrariam viam ingrediare, evertenda sit nostra natura.

Nos autem hæc non ita disputamus, quasi quis possit ratione negare, sensu credere, esse illam, de qua loquimur, Dei et humani generis conjunctionem; aut quasi fieri possit, ut, quod ratio rejiciat, id sensûs auctoritate probemus, sed hoc volumus, nisi ratio efficiat, quod efficere nequit, religionem pugnare cum æternis cogitandi legibus, eam numquam hoc sibi sumere aut posse aut debere, ut religionem tamquam commenticium quid ac nugatorium rejiciat. Ulterius progredi ratio nequit, quam ut neget se scire, sit illa Dei et humani generis necessitudo, nec ne? Itaque eo valebat omnis nostra disputatio, ut intelligeretur, *si ratio dubitet, nec certo doceat, tum sensûs auctoritate credendum esse, nos religionis vinculo cum Deo esse conjunctos:* hanc enim sententiam niti sensu religioso, in ipsa natura humana fundato, cujusmodi firmamento contraria sententia careat. Neque videmus, quod contra dici queat, nisi fortasse quis putet, dubitationem aut ignorantiam nostram tantum valere posse ac debere, ut res, quæ dubitetur aut ignoretur, continuo neganda sit. Quæ quidem temeritas si vel in rebus quotidianis fugienda est, quanto magis in rebus divinis, quarum magnitudo in ingenii nostri mediocritatem non cadat (*l*).

(*l*) *D. Jenisch, Kritik des dogmatischen, ideal. und hyperideal. Religions und Moral-Systems p.* 72 sq.

Atqui hoc loco erunt fortasse, qui nos non satis consentanea dicere putent. Cum enim in priori hujus Capitis parte (theoretica), contenderimus, principatum esse penes rationem debere, sensum autem numquam tantum valere posse, ut ejus auctoritate, quid verum falsumve sit, constituatur; nunc in posteriori, i. e. practica hujus disputationis parte, nos videri contrariam sententiam sequi, atque sensui eam auctoritatem tribuere, quam ei ante negaverimus. Quorum quidem orationi ita fortasse occurri possit, ut dicamus, sensum illum, qui aut phantasiâ aut aliâ quâcunque causâ, cujus nobis *conscii simus*, moveatur, non continuo eodem loco esse habendum, ac sensum religiosum, qui non tam partus nobis sit, quam datus, atque ita naturæ humanæ proprius, ut separari ab ea nequeat. Sed nolumus hac oratione uti. Concedimus sensum religiosum non magis docere posse, re vera *esse* illam Dei atque humani generis conjunctionem, quam sensus omnino aliquid docere possit, quod ad mundum intelligibilem pertineat. Satis bene nobiscum actum esse arbitramur, quod in natura nostra aliquid insit, quod sequamur, tamquam cogitandi agendique *normam*. Neque ad vitæ cogitandique usum necesse est, ut eam normam certam ac veram esse, *sciamus*. Sufficit inesse in nobis sensum religiosum, qui nos moveat, ut ita cogitemus, ita agamus, ut aliter cogitare et agere non possemus,

etiamsi *sciremus*, illam normam esse certissimam. Est igitur illa religiosi sensûs auctoritas, ut recentioris philosophiæ verbis utamur, *normativa*, sive *regulativa*, non *constitutiva*. Sensus ille non docet, quid *verum sit*, sed quid a nobis *pro vero sit habendum*. Quicquid dogmatici jactent, nobis quidem hæc *Kantiana* modestia admodum placet (*m*). Itaque apparet, hanc hujus disputationis partem minime pugnare cum parte superiori. In illa enim parte quærebatur, num sensus docere possit, quid *sit?* Negavimus. In hac quæritur, num sensus docere possit, *quid credere debeamus?* sive: *num sensus nobis normam præbere possit, ad quam vitæ actio et cogitatio dirigenda sit?* Hoc ajo. Atque jam magis etiam, nisi fallor, intelligitur, quo jure dixerimus, sensum debere locum tenere rationis, si hæc dubitet, *illa Dei atque hominum necessitudo existat, nec ne?* Si enim dubitat ratio, atque alio momento in hanc partem, alio in alteram, impellitur, aut nullam nobis agendi sentiendique normam præbet, aut, si aliquam præbet, temeraria est: nulla enim causa est, cur hanc

---

(*m*) *Kantium* in eo loco, *num Deus sit*, non *constitutiva* sed *normativa* argumentatione uti, egregie demonstatur in *Briefe über Kants, Forbergs und Fichte's Religionstheorie.* In *Flattii Magaz. Part.* V.

potius, quam aliam præbeat. Hanc igitur rationis inopiam sensus sublevat.

Hæc ergo cum sensûs sit auctoritas in universa Religione Naturali, neque opus est, neque per hujus scriptionis terminos fieri potest, ut ipsum quoque hujus religionis *argumentum*, i. e. *ejus placita* persequamur. Ex iis enim, quæ disputavimus, facili rationis conclusione effici potest, in judicio de religionis argumento quantum sensus valere et possit et debeat. Simulatque enim ita nobis persuaserimus, religionis necessitudine cum Deo nos esse conjunctos, fieri aliter non potest, quin huic persuasioni adjunctæ sint notiones, ita necessario ad religionem pertinentes, ut, iis sublatis, ipsa tollatur religio. Nam cum illam religionis necessitudinem cogitamus, Deum cogitemus necesse est, *dignum qui colatur*. Illa autem dignitas nititur naturâ Dei, vitæ actione, rerum nostrarum procuratione. Quomodo enim Deum religiose esse colendum, persuadere nobis possimus, nisi mente et cogitatione aliquam notionem informemus, quid Deus sit, quid agat, quid ab eo ad hominum vitam permanet? Quibus rebus cum Religionis Naturalis argumentum contineatur, perspicuum est in harum rerum judicio eandem esse sensûs auctoritatem debere, quam ei in universa religionis causa tribuere soleamus. Itaque, *si ratio dubitet, verane an falsa sit aliqua notio, quæ a religione abesse nequeat, tum eam pro verâ esse habendam*,

contendimus, eâdem sensûs auctoritate, qua universæ religionis veritatem adversus rationis dubitationem tuiti sumus.

Diximus de Religione Naturali: videamus de ea, quæ humano generi divinitus patefacta est. Quod quidem argumentum brevem tantum disputationem postulare videtur. Nam cum in *universa* religionis causa haud exiguam sensui vim auctoritatemque tribui debere censeamus, in hac *peculiari* Revelationis causa quomodo fieri queat, ut sensus aliquando locum teneat rationis, prorsus non intelligo. Est enim Revelatio divina *res facta*, sive *historica*, quæ vera sit an ficta, sensu non magis judicari potest, quam utrum Orpheus Homero, an hic illo fuerit antiquior.

De eo, in quo versamur, argumento trifariam disputari potest. *Primum* quæritur, num sensus locum tenere rationis queat tum, cum ab ea, quæ nunc fertur, divina Revelatione mente avocatâ, omnem hanc patefactæ divinitus religionis causam *a priori*, ut ajunt, consideremus, i. e. num sensus doceat, *fieri aliter non potuisse*, quin Deus, quid a nobis cognosci, credi, fieri vellet, aliquando humano generi patefecerit? Equidem, ut dicam, quod sentio, iis assentior Theologis, qui omnem illam disputationem, quam *a priori* appellant, temerariam esse ac nihili judicant. Quid Deus facere debeat, quid non facere, non est profecto humani ingenii statuere. Sed tamen si-

mulacrum probabilitatis agnoscamus. Non *sensu*, sed *ratione* nititur illa probabilitas. Ita enim *argumentantur*, Deum, pro incredibili suo erga genus humanum amore, non potuisse committere, ut homines, quarum rerum scientia ad salutem consequendam esset necessaria, in earumdem ignoratione versarentur. Itaque Deum, nisi se ipse deserere atque ab illo humani generis amore desciscere vellet, *debuise* aliqua voluntatis suæ declaratione consulere nostræ saluti, cet. Quod quidem omne judicium, qualecunque tandem est, certe *rationis* est, non *sensûs*. Quamquam enim, ut ante diximus, sensûs auctoritate credendum est, religionis necessitudinem humano generi cum Deo intercedere, sensus tamen minime docet, illius necessitudinis exstare debere singulare aliquod documentum. *Deinde* illud quæritur, possitne aliquando ac debeat sensus succedere rationi, cum hoc agitur, sit revera divina Revelatio ea, quæ nunc divinitatis nomine feratur? Equidem non putem. Cum enim argumenta, quibus divina Sacrarum Literarum auctoritas effici solet, aut *externa* sint aut *interna*, ut appellant, illud primum apparet, de *externis* argumentis nullam esse posse controversiam. Quotus enim quisque est, qui sensu, ac non potius ratione et historiæ auctoritate, judicari debere putet, verene edita sint aut *vaticinia* aut *miracula*, quibus divinus Sacri Codicis ortus stabiliretur? Itaque si fieri possit, ut

sensus aliquando locum obtineat rationis, in solis argumentis *internis* hanc vim habeat, necesse est. Atqui ne hoc quidem dici potest. Interna argumenta vel ad *doctrinam*, quæ Sacris Literis continetur, vel ad *res narratas* referuntur (*n*). Itaque horum argumentorum vis posita est aut in doctrinæ *præstantia*, aut in *naturali* rerum narratarum *verisimilitudine*; quæ ejusmodi sit, ut ab impostore ita fingi posse non videatur. Sed in utroque argumentorum genere principatus semper penes rationem sit, necesse est. Nam *doctrinæ præstantia* sive Dei naturâ censetur, rationis est judicare, quam sit illa doctrina Deo digna, quamque conveniat cum naturæ divinæ notione, quam ipsa sibi informaverit: sive humanâ naturâ metienda est, rursus ratio judicare debet, quam utilis sit nobis, quamque necessaria illa doctrina. Neque vero ita quis nobis occurrat, ut nullam causam esse dicat, cur hoc loco aut rationi plus aut sensui minus tribuamus, quam in superiori hujus disputationis parte, ubi contenderimus, quamvis ratio dubitet, tamen sensûs auctoritate credendum esse, exstare illam Dei et humani generis necessitudinem, qua Religio contineatur. Atqui dispar causa est. Supra enim disserebamus de sensu religioso, *animis nostris insculpto atque fere innato;* hoc autem loco sermo nobis est de sensu *extrinsecus*

(*n*) Vid. nostra Præfat. ad *Commentat. de Euang. Joann.*

commoto, i. e. Sacri Codicis lectione excitato. Cujus sensûs quanto minor sit, quam illius, auctoritas, non opus est docere. Alter enim adventicius est, neque omnium hominum communis; quod eorum exemplo intelligi potest, qui ad Sacrarum Literarum lectionem non tantum *frigent*, nec argumenti præstantiam *sentiunt*, verum etiam omnem illam Revelationis causam, ut nugatorium quid, contemnunt. Alter vero sensus, quem religiosum appellamus, ita et cum humana natura conjunctus est, ut, nisi hac eversâ, ille exstirpari nequeat, et omnium hominum ita communis, ut nulla gens, nulla natio tam barbara sit, quin, simulatque aliquam Numinis notionem susceperit, continuo religionis necessitudine cum divina natura se copulatam putet. Neque illud omittendum est, quod superiori disputationis parte quærebamus, *quid esset pro vero habendum?* dum in hac parte quæstio est, *quam præstans sit aliquid, quantique facienda sit aliqua doctrina?* Inter utramque quæstionem quantum intersit, facile intelligitur. Religionis enim cum ea sit indoles, ut in rebus æternis, intelligibilibus atque longe supra nos positis versetur, necesse est, ut quarum rerum maximam partem fere ignoremus, de iisdem et dubitari sæpius et in utramque partem disputari possit. Neque vero non stulta et arrogans ratio, si, quarum rerum cognitionem assequi nequeat, eas, quia assequi nequeat, falsas putet. Itaque

superiori disputatione hoc volebamus, minime mirandum esse, si ratio aliquando dubitaret de iis rebus, quas certo cognoscere nonposset: neque illa dubitatione earum rerum veritatem labefactari, quippe quæ rationis judicio non subjectæ essent: sensûs igitur in hac causa majorem esse, quam rationis, auctoritatem. Sed liber aliquis si mihi in manus traditur, in quo multa de Deo, de genere humano, de mutua utriusque conjunctione, equidem in censendo hujus libri argumento non intelligo, quis omnino sensui locus esse possit, aut quomodo fieri queat, ut, si ratio dubitet, sensus aliquam doctrinam utilem judicet ac præstantem. Nam doctrinam aliquam si probamus, si præstantem judicamus, hoc ipsum *judicare* et *probare* rationis est, non sensûs. Sed fac fieri posse, ut sensus, de qua doctrina ratio judicium cohibeat, illam ut Deo dignissimam hominibusque utilissimam approbet, quæ tandem esse potest istius sensûs auctoritas? Nam, ut paulo ante docuimus, illius religiosi sensûs dignitas, qui omnium hominum est, nititur ipsâ naturâ humanâ, in qua fundatus est; cum contra illo sensu, de quo nunc agimus, apto illo atque nexo e Sacrarum Literarum lectione, alii afficiantur, alii prorsus careant. Et hæc quidem hactenus de illo argumentorum internorum genere, quod ad *doctrinam* refertur.

Alterum genus naturali, i. e. *interna rerum narratarum verisimilitudine* continetur. Negari ne-

quit, rerum historicarum, quæ Sacris Literis, inprimis N. T. libris continentur, magnam partem ita se habere, ut earum veritas ante fere *sentiri*, quam ratione effici queat. Sed nos quidem, cum in hac causa *sentiendi* vocabulum usurpamus, ita facimus sermonis egestate coacti. Non est profecto hoc loco *sensûs* voci eadem subjecta vis, quam ei subjecimus cum de *religioso sensu* loqueremur, ut significet animi sive habitum sive affectionem, *omni ratiocinatione antiquiorem.* Nititur potius ille veri sensus argumentis, quorum vis et perspicuitas, nulla adhibita meditatione, ita facile animadvertitur, ut *sentire* magis, quam *argumentari* videamur. Atque ita esse, ut diximus, vel ex eo intelligi potest, quod, si illum sensum paulo acrius intuemur, ad argumentationis perspicuitatem explicari potest. Quod quidem magno indicio est, eum, de quo loquimur, veri sensum constare ex argumentis (*o*). Sed esto: *sentiatur* historiarum sacrarum veritas; non de *veritate* rerum narratarum, sed de *divina* Sacri Codicis ejusque doctrinæ *auctoritate* quæstio est. Fateor quidem, agnita historiæ veritate, facilem esse auctoritatis divinæ demonstrationem: sed tamen, quo ab illa ad hanc progrediare, adhibenda *ratio* est. Narratur mira-

---

(*o*) Exemplo esse possunt *Orationes Sacræ*, quas de *internis argumentis* habuit et edidit *Gul. Broes*, vir acutissimi ingenii. Amstelæd. 1810—1815. III Tomis.

culum aliquod: veram esse narrationem sentio, sed antequam doctrinæ divinitatem agnoscam, *ratio* me docere debet, quantum sit argumento tribuendum, quod a miraculis duci soleat.

Tertia denique quæstio est, possitne ac debeat sensus locum obtinere rationis tum, cum divina Sacri Codicis ejusque doctrinæ auctoritas jam demonstrata atque a nobis agnita sit? Quæ quidem quæstio, ut intelligatur, quo valeat, videtur illa nobis tres alias continere, quarum singulis breviter respondendum est.

Primum igitur quæritur, possitne ac debeat sensus succedere rationi, si hæc incerta sit *de aliqua Sacri Codicis parte interpretanda?* Quæ quæstio non ita accipienda est, quasi ambigatur, liceatne, si plurium interpretationum, æque probabilium, optio sit, sensûs auctoritate eam ceteris anteponere, quæ aut ad intelligentiam facillima omnium, aut ad animi fructum uberrima videatur? Quidni enim liceat in hac optione facienda aliquem, i. e. sensûs ductum sequi potius, quam omnino nullum? Quamquam haud scio, an accidere numquam possit, ut, adhibitis justis interpretandi subsidiis, prorsus dubia sit electio. Sed illud cuicuimodi sit, hoc quæritur, an sensui tantum aliquando tribui et possit et debeat, ut, frustra adhibitis adminiculis hermeneuticis, ejus auctoritate Sacrarum Literarum intellectus constituatur, ita quidem, ut Sacri Scriptores eandem verbis vim subjecisse

existimandi sint, quam sensus iis tribuat? Quam quidem quæstionem posuisse, idem est, quod rem refutasse. Cum enim Sacras Literas interpretandi eadem ratio sit, eædemque leges, quæ in scriptis humanis adhiberi solent (*p*), quo tandem jure unus sacer Codex sensûs judicio subjiciatur, alia scripta non item? Et vero solet ille sensus in aliis esse alius. Non enim, ut purus ille ac religiosus et omnium communis sensus, ab ipsa nobis natura inditus est, sed magnam partem pendet ex puerili educatione, ex conditione vitæ externa, ex indole legentis, ut ad eandem Sacræ Scripturæ partem varius esse variorum sensus soleat (*q*). Ex

---

(*p*) *Herder*, *Briefe uber das Stud. der Theol. P.* I. *p.* 1 sqq. *J. Asboth*, *Comment. de interpr. Cod. S. ad communia omnes libros interpretandi principia revocata*, Gotting. 1791. Alios laudat *Keilius*, *Element. Hermeneut. N. T. p.* 2.

(*q*) Declarari hoc quodammodo potest exemplis *Bengelii* et *J. D. Michaelis.* Cum enim ille in *Apparatu Critico p.* 479 sq. locum 1 *Joann.* V. 7. hoc nomine tueretur, quod in eo inesset aliquid θεῖον, *Michaelis* contra fatebatnr, se illud θεῖον *non* sentire, recte arbitratus, illum *Bengelii* sensum a puerili institutione atque a præjudicatis opinionibus fluxisse: vid. *Introd. in N. T. Tom.* I. *p.* 896 sq. belg. Atque hinc etiam statui potest, quid judicandum sit de *Testimonio Spiritus S.* quod in Theologorum scholis celebratur, quodque vindicare etiam studuit *J. A. Ernesti*, in Disputatione *Ernestino* nomine vix digna: *Opusc. Theoll. p.* 609. Vide etiam, ne alios memoremus, *Gehe*, Disp. *de argum. quod pro divinitate rel. Christ. ab experientia ducitur.* Ossitii 1796

quo intelligi potest, quod etiam exemplum eorum, qui, contemtis interpretandi legibus, *lumine interno* se duci jactant, satis declarat, Sacrarum Literarum, si sensûs libidini subjiciantur, nullam posse certam esse ac stabilem intelligentiam. Nisi forte Sanctorum Virorum verba tam multiplicem vim ac significatum habere censenda sunt, quam multiplex legentium sensus est.

Deinde illud quæritur, an, tacente ratione, sensus judicare possit de *dignitate ac pondere* alicujus doctrinæ, quæ Sacris Literis tradatur? Quæ quæstio vereor ne nihili sit: fieri enim posse non puto, ut in hujus rei judicio a ratione discrepet sensus. Nam si ratio ipsa per se doctrinæ alicujus vim ac dignitatem perspiciat, non necesse est, ut ejus judicium cum sensûs judicio permutetur: sin vero aliquam doctrinam non magni ponderis judicet, quomodo tandem, quod rationi leve ac parvum, id sensui grave atque magnum videri queat? Sin denique dubitet ratio, magnine an parvi facienda sit aliqua doctrina: sed reprimam me, ne in quæstione inani operam consumere videar. Ratio

---

Multa præclara ad hanc causam pertinentia scripsit *J. J. Spalding* in libro: *Gedanken über den Werth der Gefühle in dem Christenthum* ed. 5ta. Lips. 1784. Quæ recentiori memoria de *Spiritus S. testimonio* disputata sunt, collegit Auctor Libri: *Aufhell. der neuen Gottesgel. Tom.* I. *p.* 585. sqq.

enim in hoc judicio dubia esse non potest, sed in alterutram partem necesse est eam inclinare.

Postremo quæritur, an rationi sensus succedere possit tum, cum, Sacras Literas tractantes, in ea religionis placita incidamus, quæ *ingenii humani captum superent*, quæque *Mysteria* appellari a Theologis soleant? Equidem vero in illis placitis explicandis quis sensûs usus esse, aut quid omnino sensus valere possit, fateor, me non intelligere. Ne enim rursus dicamus, quod supra docuimus, sensus de rebus intelligibilibus quid verum falsumve sit, omnino nos edocere non posse, illud cuique perspicuum esse arbitror, si quid in obscuris illis doctrinis tractandis rationi succedere aut possit, aut debeat, succedere non sensum, sed *fidem*. Quod fieri solet in iis, qui mediocritatis humanæ memores, frenos ingenio injiciunt, atque in Sacrarum Literarum auctoritate sapienter acquiescunt. Hi ergo *credere* incipiunt, ubi intelligere desinunt: sensûs vero nullus usus est, nec esse potest.

Sive igitur Religio Naturalis, sive Revelata agatur, satis declaravisse nobis videmur, *quatenus rationis locum sensus tenere aut possit aut debeat*. Alia quæstio est, quatenus sensus in causa religionis rationi *succurrere*, eique *opem ferre* possit ac debeat? Cui quæstioni cum, ut poterimus brevissime, responderimus, finem faciemus hujus scriptionis. Et nos quidem, quamquam superiori

disputationis parte sensûs auctoritate quicquam cognosci posse, negavimus, tamen multum sensui tribuendum esse, contendimus, si, *quid pro vero habendum sit*, quæratur. Quod cum ipsum jam magno argumento esse debeat, nos minime esse eos, qui sensui bellum indixerimus, tum idem magis etiam, ut opinamur, in hujus scriptionis exitu intelligetur.

Primum igitur multum sensus valet in *excitanda et cohortanda ratione* ad rerum intelligibilium *inquisitionem ac studium*. Quod cum dicimus, non hoc volumus, ipsam rationem, nisi sensu adjuvetur, non posse perspicere, quanti sit ponderis religio, quamque digna ea res sit, in cujus inquisitione operam omnem ac laborem collocemus. Quis enim tam hebes est, tamque rationis expers, qui non intelligat, multum nostra interesse, Deus sit nec ne; isque Deus non tantum an coli a nobis omnino debeat, sed etiam, quomodo? porro, an confidere satis queamus, divinæ voluntatis patefactionem Sacris Literis contineri? quid de animorum immortalitate, quid de ceteris religionis, sive naturalis, sive divinitus nobis traditæ, placitis statuendum sit? Quis, inquam, tam stupidus, qui istæ quæstiones quam graves sint, quantique ponderis, non ratione ac judicio perspiciat? Sed aliud quid est harum rerum pondus ratione intelligere, aliud, hac intelligentiâ ad earum inquisitionem moveri et excitari: aliud est, rationis vo-

cem tamquam auribus percipere, aliud, ejus auctoritati parere. Primum enim multis hominibus innata est quædam ignavia; quæ quamquam semper reprehendenda est, tamen aliquam excusationem habere videtur, si in earum rerum investigatione labor poni debeat, quarum inventio fere desperanda sit. Qualis est causa religionis. Quæ enim nos ratio de religionis dignitate admonet, eadem nos docet nihil tam arduum esse, tamque difficile, quam rerum intelligibilium cognitionem, si modo aliquam ejus partem homo assequi possit. Accedit alienæ auctoritatis cogitatio, quæ solet eo sæpe valere, ut, cum inquisitionis difficultas nos perterreat, in aliorum labore acquiescere, quam nostro Marte aliquid periclitari malimus. Denique, tot sunt vitæ communis occupationes, tam multiplicia negotia, ut ratio, eorum mole obruta, quamquam de religionis dignitate nobis persuasissimum sit, tamen, nisi aliunde stimuli admoveantur, ad rerum divinarum vix cogitationem, nedum studium et inquisitionem, eniti facile posse videatur. Quod, etsi non de omnibus, tamen de plurimis hominibus, verissime dicere videor. Quorsum hæc? ut intelligatur, rationi opus esse perpetuâ quadam voce et hortatione monitoris, qui eam socordem ac veluti oscitantem excitet atque erigat ad causam religionis cognoscendam. Quem ego monitorem *sensum* appello *religiosum*. Quamquam enim, ut ante diximus, prima Numinis suspicio non a

sensu, sed ab aliqua ratiocinatione orta est, tamen prima ad res divinas indagandas et cognoscendas impulsio procul dubio aut unice aut præcipue profecta est a sensu religioso, quem supra vidimus cum notione Dei esse conjunctissimum. Deinde, quemadmodum homines, qui a vitiorum fœditate ad meliorem frugem redeunt, conscientiæ stimulis magis ac sensu morali, quam rationis argumentis, ad hoc saluberrimum resipiscendi consilium capiendum moveri solent, ita, si quando accidit, ut sive per vitæ occupationes, sive per nimiam animi remissionem, religionis cura flaccuerit, sensus religiosi hortatione expergisci et ad rerum divinarum cogitationem emergere solemus.

Altera sensûs utilitas est, quod nostram de Deo ac de religione sententiam ac judicium *confirmat*, nec facile eam ex animis nostris evelli patitur. Fieri potest ut errem, sed ita prorsus statuo, multos, si hæc iis lex scriberetur, ut, deposito sensu, unius rationis argumentis niterentur, unâ cum sensu ipsam religionem exuturos esse. Non sumus nobis satis conscii, quantum sensus apud nos valeat etiam tum, cum in unius rationis auctoritate positum ac fundatum nostrum judicium putamus. Tum autem illa sensûs vis et efficacitas optime intelligi solet, cum in ejusmodi aliquando aut scripta aut sermones incidimus, quibus religionis causa oppugnetur. Quem impetum cum rationis armis omnes repellere non

possint, quid tandem causæ esse dicamus, cur multi, expugnato rationis castello, tamen urbem, id est se ipsos, hostibus tradere recusent? Nimirum resistit sensus. Quod quidem non ita dicimus, quasi fieri non possit, ut etiam cum aliis causis, tum præjudicatæ opinionis pervicaciâ moveantur. Sed tamen sunt multi, neque me eos nosse diffiteor, qui, cum præconceptæ sententiæ auctoritatem minime curent, labefactata ratione, sensûs præsidium adversariis opponant. Liberius loquar. Quo Vos accuratius causam religionis cognovistis, Viri Eruditissimi, quo illa causa certior Vobis et exploratior est, eo fidentius Vos atque me ipse testor, sæpius nobis usu venisse, ut eorum, qui religioni infesti sint, voce ita jactaremur, ut haud raro, nisi sensus sustentasset, casura fuisse ratio videatur (*r*).

(*r*) Quo ea, quæ disputavimus, a perversa interpretatione vindicemus, apponere liceat paulo longiorem Annotationem.

Cum nos subit dubitatio de iis rebus, quas ante veras ac certas esse rebamur, a duobus fontibus illa dubitatio manare potest. Aut enim non satis firma esse nostra argumenta intelligimus, aut æque firma vel etiam firmiora esse argumenta, quibus contraria sententia defendi queat. Multum inter duas istas dubitandi causas interest. Nam de religionis naturalis placitis si quis *propterea* dubitat, quod eorum contrarium probari possit æque validis argumentis atque illa sunt, quibus eorum probabilitas nititur, vereor ne religionis causa in magnum discrimen adducatur. Sed nos cum supra fatebamur,

Ultimum et extremum sensûs munus est, quod quemadmodum corporis sensus ea, quæ se extrinsecus ipsis offerunt, ad animi agnitionem perdu-

---

eorum, quibus displicet religio, voce nos sæpius in aliquam animi dubitationem esse conjectos, non loquebamur de isto dubitandi genere, neque loqui poteramus. Numquam enim incidimus in aliquod argumentum: quod quidem argumenti nomine dignum esset: quo efficeretur, Deum *non* esse, animos *non* esse immortales, cet. neque ejusmodi argumenta afferri posse, nobis persuasissimum est: conf. *K. H. Heydenreich*, *Betracht. über die Philos. der Nat. Rel. Tom.* I. *p.* 127 sqq. *Flatt*, *Magaz. P.* V. *p.* 20. Itaque ab altero illo, quem memoravimus, fonte fluebat dubitatio. Sæpius intelleximus: neque turpe ducimus fateri: multis argumentis nos plus tribuisse, quam tribui iis deberet. Fuit aliquando, cum mirifice nobis placeret argumentum, quo Deus esse probaretur, ontologicum: tandem istas argutias abjecimus: teleologicum argumentum neque *Kantium*, neque quemquam philosophorum nobis facile erepturum esse, arbitramur.

Illa autem de argumentorum nostrorum firmitate dubitatio nihil omnino religionis causæ obest. Quid? quod fieri nullo pacto potest, ut ratio theoretica aliquod rerum intelligibilium argumentum inveniat, quod non labefactari vel etiam everti queat. Cum enim omnis nostra cognitio *temporis spatiique* terminis contineatur, cumque Dei rerumque intelligibilium nullam aliam notionem nobis informare queamus, nisi *symbolicam*, i. e. ductam illam a similitudine nostræ cognitionis rerum, non quales illæ res *per se* sint, sed quales nobis sub conditione temporis ac spatii *appareant*, sequitur, omnia nostra rerum intelligibilium argumenta itidem *symbolica* esse debere, i. e. ita composita, quasi illæ res *non* essent intelligibiles, sed temporis spatiique terminis septæ. Quis igitur non intelligit, ista argumenta (quamquam teleologici haud

cunt, *sic ille tamquam instrumentum est, quo rationis de religione placita propius animo admoveantur, et ad virtutis pietatisque studium*

---

mediocris vis ac probabilitas relinquatur) ejusmodi esse, ut ratio theoretica ea tueri adversus eos nequeat, qui gravius urgent et insectantur?

Itaque labefactari illa argumenta possunt, ut tamen religionis causa integra et incolumis maneat. Quarum enim rerum nullum proprie argumentum esse potest, earum veritas non est eorum, quæ adhiberi solent, argumentorum vi ac firmitate metienda. Sed rursus illud quoque concedi debet, quamquam rerum intelligibilium veritas non pendet ex *nostrorum* argumentorum evidentia ac veritate, tamen si *penitus funditusque* tollerentur omnia, quæ ab hominibus afferri possunt, argumenta, fore ut *hominibus* prorsus incerta redderetur religionis causa.

Sed, inquit, quomodo tandem sensus sustentare possit rationem, quæ non *prope cadere* videatur, sed jam *eversa* sit ac *prostrata?* Ratio enim si argumentorum suorum infirmitatem agnoscit, non illa nutare, sed jacere videtur. Hoc loco magna dissimillimarum rerum redarguenda confusio est. *Kantius* cum rerum intelligibilum argumenta theoretica oppugnaret, hoc ostendit, *ea esse infirma*, non vero probavit, *ea esse falsa ac nihili*, si unum argumentum *ontologicum* exceperis, quod ille penitus infregit: *Krit. der rein. Vern. p.* 620 sqq. Quid autem hoc est, *ea argumenta esse infirma?* Nihil aliud nimirum, nisi, *ea non habere tantam vim, quantam eorum commendatores existiment*, quippe qui mathematicæ fere evidentiæ vim iis tribuant. Quæ quidem Kantianæ sententiæ interpretatio si minus convenit in ejus de argumento cosmologico disputationem, quippe de quo ille satis per contemtum loquatur, *l. c. p.* 631 sqq. tamen *Kantium* argumenta *non satis firma* et *omni exceptione majora* probe

convertantur. Nam: ut alio hujus scriptionis loco a nobis animadversum est: ratio in elaborandis notionibus ita occupata esse solet, ut harum evi-

---

distinxisse ab argumentis *nullam vim habentibus*, intelligi potest ex loco, ubi disputat de *argumento teleologico*, sive *physico-theologico*, *pag.* 648 sqq. Inscriptio ejus Capitis est, *Unmöglichkeit des physicotheologischen Beweises:* et tamen in ipsa rei explicatione hæc leguntur. *Dieser Beweis verdient jederzeit mit Achtung genannt zu werden. Er ist der älteste, kläreste und der gemeinen Menschenvernunft am meisten angemessene — Es würde daher nicht allein trostlos, sondern auch ganz omsonst seyn, dem Ansehen dieses Beweises etwas entziehen zu wollen.* Sed totus ille locus legi debet.

Cum igitur dicimus, rationem theoreticam sensu sustentari, non hoc ita interpretandum est, quasi sensus efficere possit, ut ratio, etsi ipsa per se intelligat, argumenta, quibus adhuc freta fuerit, non tanti esse, quanti ante putaverat, tamen ea æque valida putet, atque antea: sed hoc volumus, rationem theoreticam sensu impediri, quominus quæ argumenta *non satis firma* esse perspiciat, ea continuo *nihili* ducat, aut res, quæ *satis certo* probari nequeant, eas statim *fictitias* esse, putet. Quod nobis commune vitium Idealistarum et Scepticorum esse videtur. Atqui horum ipsorum exemplo id, de quo disserimus, declarari potest. Qui enim præter semetipsos quicquam existere, aut negant aut dubitant, eorum tam acuta est tamque subtilis disputatio, ut, qui contrariam sententiam tuentur, eos causà cadere necesse sit, si illorum aut negationi aut dubitationi mathematicam se evidentiam opponere posse putent. Et tamen ita nobis persuasum est, *existere mundum*, ut nulla mathesis certiora docere videatur. Ecquid igitur causae est, cur ratio, impetu adversariorum de hoc evidentiæ judicio dejecta, in probabilitate, tamquam in statione

dentia et perspicuitate contenta sit, atque munere suo functam se esse putet, si modo id, in quo versetur, *intelligat*. Potest quidem ratio, quantum in se est, id eo conferre, ut placita sua ac decreta ad animi fructum exercitationemque vir-

---

aliqua, *subsistat*, nec lapsu graviori ruat? Sensus eam sustinet, nec penitus cadere patitur, eamque probabilitatem, ut ita dixerim, corroborat, monetque rationem, ut, quamvis illâ evidentiæ possessione spoliata sit, tamen verisimilitudinem tueatur.

Atque hæc ita a nobis disputata sunt, ut intelligeretur, posse nobis de religionis veritate persuasissimum esse, etiamsi aliquando fatendum sit, argumentis, quibus illa persuasio nitatur, non tantum, quantum putabamus, tribuendum esse, sensûs autem hoc munus esse, non ut aliquid doceat, quod ratio non doceat; sed ut rationem suæ persuasionis, quamquam non certis, sed probabilibus tantum argumentis nixæ, *tenaciorem reddat*, nec patiatur, ut illa, de evidentiæ opinione depulsa, de causa sua desperet.

Alia est ratio *Religionis Revelatæ*. Hæc una ratione tuenda est: nullum a sensu exspectandum auxilium. Nos autem sæpius jam de hoc, jam de alio divinæ Sacrarum Literarum originis argumento, dubitavisse, eo fidentius etiam et apertius fatemur, quo certius statuimus, nemini posse, ita ut oporteat, de divina illa auctoritate persuasum esse, nisi qui sæpe multumque dubitaverit: conf. *Reinhardi Oratiuncula*, *De ratione docendi Socratica*, in *Opusc. Acad. Vol.* I. *p.* 326. et *Planckii Einleit. in die Theol. Wissensch. Tom.* I. *p.* 78 sqq. II. *p.* 536. Nobis certe salubris fuit hæc dubitandi consuetudo. Quoties enim in dubitationem conjecti fuimus, toties ex illâ certiores ac magis firmati emersimus.

tutis adhibeantur; sed potest etiam suo quodam jure ab hoc negotio abstinere. Sed sive aliqua hujus negotii pars ad rationem pertineat, sive non pertineat, illud quidem verissime dici potest, rationem *solam*, nec sensu adjutam, aut huic muneri non sufficere, aut non solere sufficere. Sola enim si sufficeret, quis tandem videret meliora, probaretque, deteriora sequeretur? Aliud profecto quid est, *intelligere*, aliud, eorum, quæ intellecta sunt, vim ac præstantiam ita *sentire*, ut aliquis inde virtutis fructus gignatur. Sed fac *solam* rationem theoreticam *posse* animum ita, ut oporteat, afficere: ad causam nostram obtinendam satis esse ducimus, sensum rationi succurrere, eique viam ad animum faciliorem planioremque reddere. Obviam it rationi sensus, iter ad animum monstrat, eam comitatur, ducit, sustentat, accipit, quæ illa tradit: atque hac utriusque conjunctione efficitur, ut, elisis nequitiæ stirpibus, recti honestique semina animis inserantur, unde aliquando perfecta virtus efflorescat.

Habetis meam, Eruditissimi Viri, de argumento a Vobis ad disceptationem posito, sententiam, quam quidem ita me explicuisse arbitror, ut, si quando lapsus sim, certe non per cupiditatem aut per ejus, quam sequor, partis cæcum studium lap-

sus sim. Sed ego quid effecerim penes Vos, quibus plurimum tribuo, judicium esto. Vos vicissim, si laborem Vobis meum minus probavero, diligentiæ tamen atque honestæ voluntatis laudem mihi impertituros esse confido. Nunc autem, ne splendido quodam ac magnifico epilogo judicii vestri integritatem corrumpere velle videar, finem faciam scribendi. Si quis autem est, qui mihi succenseat, quod in hac scriptione non elegantius sim atque magis tersum orationis genus secutus, is videat ne mihi imputet, quod philosophis illis, quibuscum negotium nobis fuit, imputari debeat. Hi enim si in horrido et lutulento dicendi genere jactant se, neque amplius contenti sunt perspicua illa ac simplici scribendi ratione, qua *Gellertus*, *Mendelides*, *Garvius*, aliique usi sunt, quis tandem aut operæ pretium ducat, aut etiam postulet, ut in eorum barbarie abluenda bonæ horæ consumantur? Itaque quæ illi barbare posuerant, nos, qui par pari referendum putavimus, barbare reddidimus. In quascunque denique reprehensiones incurrero, meo scripsi arbitratu, meoque usus sum judicio, qui, quamquam magnorum virorum judicio multum tribuo, tamen et hoc frequenter usurpo, quod nunc etiam Symboli loco pono,

Non me cuiquam mancipavi.

SENECA.

674

Deacidified using the Bookkeeper process.
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: August 2004

PreservationTechnologies
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION
111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111

THE LIBRARY OF CONGRESS

LIBRARY OF CONGRESS
0 012 891 892 9